

AVGVSTINI LEYSERI

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET PRIN-
CIPi ELECTORI SAXONI A CONSILIIIS AVLAE AC IV-
STITIAE, CONSISTORII ECCLESIASTICI IN ACADEMIA
VITEMBERGENSI DIRECTORIS, CVRIAE PROVINCIALIS
AC SCABINATVS ADSESSORIS PRIMARIJ, ET ORDI-
NIS IVRIDICI ORDINARIJ

MINISTER
PRINCIPIS
DELINQVENS

OLIM IN ACADEMIA IVLIA, QVAE
HELMSTADII EST,

TRIBVS DISPVATIONIBVS,
NVNC ITERATA EDITIONE IN LVCEM
PRODVCTVS.



VITEMBERGAE ET LIPSIAE,
APVD EPHRAIMVM GOTTLOB EICHSFELDVM.
M DCC XXXV.

AVGVSTINVS
M
PRINCIPIS

THE NEW YORK





AVCTOR LECTORI SALVTEM.

OPusculum, quod hic in lucem
prodit, non nouum est, sed
iam ante aliquot annos
Helmstadii, in academia Iulia, pro-
positum fuit. Tres eius partes sunt,
quarum primam VOLRADVS LV-
DOVICVS de BIEDERSEE, eques An-
haltinus, postea potentissimi Prus-
siae regis minister, d. 19 iun. anni
1719, secundam AVGVSTVS GOTT-
HELFF HILLIGER, Dresd. Misn.
postea iurium doctor, et in aula po-
tentissimi Poloniarum regis con-
siliarius, mense septembri eiusdem

33b
):(2

anni,

anni, tertiam FRANCISCVS THEO-
DORVS WARNESIVS, Padiborna
Westphalus, nunc iurium licentia-
tus et in patria aduocatus, mense
nouembri anni 1721 in publicis di-
sputationibus defenderunt. Eae di-
sputationes editae plausum in aulis
et academiis inuenerunt, ac tam
celeriter dissipatae sunt, ut post bi-
nos menses librario nullum exem-
plum superesset. Postea uel centi-
es interpellatus fui, ut nouam edi-
tionem procurarem. Et procuro
eam nunc tandem, sed non eo,
quo ab initio constitueram, modo.
Volueram nempe, et promisi etiam
nonnullis, accessiones facere. Nec
nego, parasse me iam aliquas, ac
multum materiae ad plures alias
collegisse. Verum tutius esse ui-
deo,

deo, nihil eorum publicare. Actae
sunt uidelicet post primam editio-
nem in multis Europae aulis fabu-
lae, istis, quas ego memorauī, simil-
limae. Poteram ergo illas in scenam
produxisse uideri. Quae suspicio
maximam mihi inuidiam et ingen-
tia odia conflaret. Forsan ignauum
angustumque animum mihi obiici-
ent aliqui. Obiiciant licet. Iam diu
est, quod diffidentior timidiorque
factus sum, quam olim iuuenis fui.
Non possum scilicet, ut uulgus iure-
consultorum solet, eorum, qui ante
me scripserunt, scripta compila-
re ac cogitationes eorum meis uer-
bis, quasi nouas, proponere. Quid-
quid edo, ex meo ingenio et me-
ditatione proficiscitur. Viuidus au-
tem, cui a prima pueritia adsueui,
stylus

stylus ac dicendi, quod sentio, libertas, offendit subinde non de plebe saltem homines, sed principes quoque viros. Ac perferuntur nonnunquam ad me duriores horum de me voces. Quibus fatigatus iam aliquoties in eo fui, ut stylum prorsus abiicerem et uoto solemnique promisso me ipsum aeterno silentio damnarem. Adhuc tamen amicorum prece et laude retentus sum, qui, ne se uoluptate commentationes meas legendi priuem, enixe obtestantur. Si quid ergo adhuc imposterum edo, in eo unice obsequor amicorum uoluntati. Vale.
Vitembergae, pridie eid. iun. anni
clo Io CC XXXIV

MINI-



MINISTRI DELINQVENTIS

CAPVT I

DE
FALSIS DELICTIS MINISTRORVM
PRINCIPIS.

SVMMA CAPITA.

- 1 *Ministri principis magni quidem et uenerandi, sed tamen homines sunt,*
- 2 *nec electio a principe facta certum semper meritorum et uirtutum indicium est.*
- 3 *Methodus dicendorum.*
- 4 *Primum agitur de criminibus, quae crimina non sunt, sed tanquam talia ministris obiiciuntur.*
- 5 *Ipsa interdum probitas pro crimine habetur.*

A

6 De-

- 6 Detrectatio obsequii in iussis principum legi diuinae contrariis.
- 7 Minister iniustum principis factum defendere recte abnuit,
- 8 etiamsi defensio non ipsius, sed principis nomine scribenda sit.
- 9 Crimen fidei.
- 10 Populus seditiosus fidos interdum ministros supplicio adficat,
- 11 aut ipsum principem ad hoc faciendum cogit.
- 12 Princeps saepe ea, quae ministri iussu uel consensu suo gesserunt, improbat et punit.
- 13 Fides ministrorum principi inferiori contra superioris iniurias adfistentium aliquando punitur,
- 14 nec non eorum, qui pro muneris sui ratione principi aperte uerum dicunt,
- 15 ad quod etiam cum periculo faciendum obligantur.
- 16 Interdum ministri erga principem fides heredem offendit et ab eo succedente punitur.
- 17 Interdum coniux, mater et familia principis,
- 18 interdum ceteri ministri fidem persequuntur.
- 19 Discrimen inter ministrissimum et primum ministrum ostenditur.
- 20 Ministrissimatus crimen non est,
- 21 si legitimis modis obtineatur.

- 22 *Contraria argumenta exploduntur.*
23 *Exempla bonorum ministrissimorum recensentur.*
24 *Melius est, principem non uni se addicere, sed plures in
consilium adhibere.*
25 *Non peccat tamen princeps, qui ministrissimum dignum
constituit,*
26 *nec minister, qui se constitui patitur.*
27 *Ministro non recte imputatur negotium damnosum, ex
consilio totius senatus gestum.*
28 *Infelix consilii, licet ancipitis et audacis, euentus consi-
liario non imputatur.*
29 *Minister ex culpa lata et leui, non leuissima obligatur.*
30 *Excusandus ergo est minister, qui negotiorum mole obru-
tus quid negligit, aut subministorum suorum peccata non
satis cauet,*
31 *item, qui damnum ex negotio, quod gerendum suscipit, ob-
lique in principem redundans non praeuidet,*
32 *nec non, cuius licitis recreationibus casus improuisus in-
teruenit,*
33 *similiter, qui in commendatione personarum ad munera
publica admouendarum non satis circumspectus est.*
34 *Opulentia interdum pro crimine obiicitur.*
35 *Flagitia uxoris et familiae ministro, qui culpa caret, ma-
le imputantur.*
36 *Minister iniuste damnatur, cui copia documentorum ad
defensionem eius pertinentium denegatur,*

37 *item is, qui ea casu perdidit.*

38 *Non peccat minister, qui incertas suas de malis reipublicae imminetibus suspiciones, uel leuia seditionum et coniurationum indicia ad se delata non patefacit.*

39 *Minister ab iis, quos extra muneris sui rationem intercessione uel opera iuuat, dona impune accipit aut stipulatur,*

40 *nec peccat, si munera ab extero principe, cum quo negotium gessit, oblata accipit.*

41 *Leges tamen quorundam locorum id uetant.*

42 *Supremo ministro ob flagitia deiecto, non recte puniuntur inferiores, qui olim illi adhaeserunt.*

43 *Saepe felicitas in rebus gerendis,*

44 *aliquando amor et auctoritas apud populum ministro exitium adfert.*

45 *Minister falso suspectus aduersus uim et insidias, quibus petitur, se recte tuetur.*

46 *Minister, si nulla caussa adsit, officio priuari, sed non puniri, potest.*

47 *Conclusio.*



I

Non equidem diffitemur, magnam deberi ministris principum reuerentiam. Habet enim, ut recte *Cicero de Natura Deorum* ait, uenerationem iustam, quidquid excellit. At quantacunque haec sit excellentia, tanta profecto non est, ut fulgore suo oculorum nostrorum et ingenii aciem praestringere, atque terrorem animis incutere debeat. Ipsi hoc non cupiunt, si ius et aequum amant. Sint, licet, magno loco positi, sint potentes, sint gratiosi, sint locupletes, sint illustres. In eo tamen nobiscum omnes conueniunt, quod homines sint, quod miseriis, uitiis, delictis, poenis iisdem expositi uiuant, quibus ceteri mortales. Iste cultus, quem supra exposuimus, aliunde adscitus, ista pompa, ista ornamenta extra eos posita sunt. Egregie *Seneca epistola 76*: *Nemo, inquit, ex istis, quos purpuratos uides, felix est, non magis, quam ex illis, quibus sceptrum et chlamidem in scena fabulae adsignant. Quum praesente populo elati incesserunt et cothurnati, simul exierunt, excalceantur et ad staturam suam redeunt. Nemo istorum, quos diuitiae honoresque in altiore fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus uidetur? Cum basi illum sua metiris. Non est magnus pumilio, licet in monte constiterit. Colossus magnitudinem suam seruabit*

etiam, si steterit in puteo. Hoc laboramus errore; sic nobis imponitur, quod neminem aestimamus eo, quod est, sed adiciamus illi et ea, quibus adornatus est. Atqui, quum uoles ueram hominis aestimationem inire et scire, qualis sit, nudum inspicere. Ponat patrimonium, ponat honores et alia fortunae mendacia.

II

Sed, ais, illos tamen iudicium principis, a quo adsciti sunt, tueretur, certosque nos de eorum uirtute et meritis reddit, quum sacrilegii instar sit, dubitare, an is dignus sit, quem elegerit imperator, *L. 3 C. de Crimine sacrilegii*. Verum iam diu exuimus istam, quam nobis haec lex obtrudit, superstitionem, atque, principes quoque homines esse, et in electione suorum ministrorum errare posse, dicere audemus. Neque possumus aliter, si historias euoluimus et, quae in illis occurrunt, exempla uirorum ad summas dignitates admotorum consideramus. Aliquos certe merita sua euexerunt. At multis error, aliis uilis adsentatio, quibusdam morum uitiorumque conformatio, nonnullis natalium splendor, plerisque fortuna ipsa, quae coeca est, aperuit uiam ad honores. Et de his dici potest, quod de Lucilio poeta *Daceryus in Satyram 10 Horatii p. 603 tom. 6*, similes eos esse mulierculis illis, quae mediocri pulcritudine et nullis meritis praeditae amorem sibi tamen inusitata quadam felicitate conciliant.

III

Quae quum ita sint, non peccaturos nos speramus, qui in praesens ministros principum non cothurnatos et in fastigio suo positos, sed tanquam homines
in

in errores et peccata lapsos considerare constituimus. Aperit se nobis rem adgressuris vastissimus campus. Quem sic optime emetiemur, ut, quae ab aliis iam ante nos dicta sunt, uel omittamus plane, uel leuiter degustemus, atque illas potissimum, quae sponte nobis subnascuntur, meditationes, et, quas usus nobis et experientia suggerit, obseruationes proponamus. Sed ordine opus est ad rem recte explicandam. Igitur tripartitum faciemus scriptum nostrum, et primo capite ea, quae bonis et innocentibus principum ministris falso tanquam delicta imputantur, secundo uera eorum crimina, tertio forum ministrorum principis delinquentium considerabimus.

IIII

Prima ergo pars aget de criminibus, quae crimina quidem uere non sunt, sed tamen tanquam talia nonnunquam principum ministris obiciuntur, quin et puniuntur. Equidem et extra aulas uirtus aliquando crimen est, et facta, quae praemium merebantur, poenis subiiciuntur. Sed tamen in aulis principum hoc frequentius est, in quibus *qui agunt*, ut cum philosopho non incelebri loquamur, *tanquam edito in loco positi, ab omnibus uentis inuidiae circumstantur, iique praesertim, qui sunt insignes ad laudem.* Sed his idem, quod Socrati, solatio esse potest, qui acceptum ex iudicum sententia a carnifice uenenum potaturus uxori, innocentem illum perire, uociferanti: Quid ergo, respondit, nocenti mihi mori satius esse putas?

V

Ipsa interdum probitas uitaeque et morum integritas crimen est, in illis uidelicet aulis, quae uitiis infectae, et quarum principes uel ipsi corrupti uel tamen improbis et peruersis hominibus obnoxii sunt. Inter hos ergo si quis pie sancteque uiuit, huius innocentia tacita ceteris flagitiorum exprobratio est, quam non possunt non aegre ferre. Laborant itaque tantum et tam diu, ut eiiciant tandem hominem sibi intolerabilem, qui hoc ipso probitatis suae poenam luit, et cui adeo pro solamine dici potest, quod aliquando false admodum de urbe Roma dictum fuit:

*Viuerē qui sancte cupitis, discedite Roma,
Omnia quum liceant, non licet esse probum.*

Neque deficiunt exempla ministrorum, optimorum ceteroquin et fidissimorum, sed ob solam probitatem inuisorum, atque ideo munere suo et fastigio deiectionum. Vnum memorabimus Michaelis Hospitalii, Galliarum in seculo XVI Cancellarii. Nihil erat, quod uitio ei dari potuisset. Vixerat integerrime, munus suum ea, quae par erat, diligentia et fide administrarat, opes nullas corraferat, ius suum cuique tribuerat. Nihil itaque erat, quod uiro sanctissimo obiiceretur. Et iuebatur tamen aula excedere atque officium suum deponere. Nec aliam huius calamitatis rationem reddere causamque odii, quod apud regem et reginam incurrerat, afferre possunt, qui temporum istorum historias scripserunt, quam illam ipsam, quae conspicuus uixerat, uirtutem. Incomparabile est, quod de hac re iudicium fert, *Baylius in Dictionario art. Hospital*: Mirum, inquit, magis

magis est, potuisse uirum optimum in aula peruerfissima locum suum per septem aut octo annos tueri, quam, illum tandem offensam regis incurrisse. Quin profecto multum uirtutum eius splendori et, quam adquisiuit, gloriae decederet, si munus cancellarii ad mortem usque obtinuisset. Nam sub tali regno opprobrium erat et infamis nota, magno huic officio idoneum existimari. Nec fieri ullo modo poterat, ut uir probus satisfaceret his, qui rerum tunc potiebantur. Haec Baylius. Ipse Hospitalius apud *Brantomium in Vitis uirorum illustrium tom. 2 p. 88*, quum ipsi insignia dignitatis suae adimerentur, liberrime dixit, non aptum se amplius ad administranda negotia, quae corruptissima cerneret, esse, laetusque in uillam suam refugit. Illa certe fuit, ut cum *Plinio* loquamur, vera et incomparabilis inuicti animi sublimitas. Pertinet huc etiam exemplum Graecini Iulii, quem, si *Senecae de Beneficiis lib. 1. cap. 21* credimus, C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior uir erat, quam esse quenquam tyranno expediret, item ministri illius, quem *Henricus IV Imp. secundum Brunonem in Historia Saxonici belli p. 103* ideo interficere tentauit, quod is flagitiis in aula grassantibus deterritus parcus in eam ueniret.

VI

Detrectant saepe ministri obsequium iussis principum, quae cum diuinis legibus et bono publico pugnant. Peruicaciam hoc et obstinationem uocant principes atque eam, si leuissime, muneris abrogatione, aliquando etiam mulcta, carcere, exilio, morte puniunt. Equidem non desunt, qui ciuibus et ministris necessitatem imponunt,

B

iniusta

iniusta quoque principum mandata exsequendi, atque ad feditiosas doctrinas referunt; cognitionem de bono et malo pertinere ad singulos; regibus non esse obtemperandum, nisi iusta praeceperint; peccare subiectos, qui mandata principum suorum, quae sibi iniusta videntur esse, exsequuntur; quod imprimis facit *Hobbesius de Ciue cap. 12 §. 1 et 2.* Sed ad haec iam responderunt alii, *Zieglerus de iuribus maiestatis lib. 1 cap. 5 §. 82* et *Pufendorfius de iure nat. et gent. lib. 8. c. 1. §. 5. sqq.* ostenderuntque, tunc, quum princeps rem turpem, inhonestam et illicitam iubet, ministrum ad obediendum non obligari, sed obligari potius ad non obediendum. Iniusta ergo est proculdubio, quae ministris sic obedire recusantibus infligitur, poena, et peccauit Caligula, qui Iulium Graecinum, de quo *in praecedente §.* diximus, propterea, quod M. Silanum innocentem accusare iussus abnuerat, interfecit, teste *Tacito in Vita Agricolae cap. 4.* Non errauerimus forsan, si et Thomae Mori exemplum huc referamus, qui, quod diuortium Henrici IIX Angliae regis probare noller, primum munere cancellarii se abdicare coactus, deinde, quum in exheredationem Mariae, legitimae regni heredis, consentire et Pontificis Romani auctoritatem, quam ipse iustam et in sacro codice fundatam credebat, eiurare detrectaret, ultimo etiam supplicio affectus est, quemadmodum *Thomas Stapleton in Vita Mori cap. 15* pluribus memorat. Sed, ne quid dissimulemus, de Moro hoc, iustene is an iniuste occisus sit, multum adhuc dubii superest, credimusque, ei, qui Henrici regis defensionem suscepturus esset, argumenta non defutura.

VII

Agendum hic simul est de crimine eorum, qui facta principum suorum iniusta et impia scripto uel oratione defendere iussi abnuunt. Nec hi poenam, sed laudem merentur. In societatem quippe delicti uenit, qui illud probat et tuetur. Mentio nunc facienda est Papiniani, quamuis ipsi cum *Spartiano in Vita Antonini Caracalli cap. 8.* dubitemus, uerane sit, quae uulgo circumfertur, caedis eius causa. Dicunt autem, Bassianum, occiso fratre, mandasse Papiniano, ut et in senatu per se et apud populum facinus dilueret; Papinianum uero respondisse; non tam facile parricidium excusari posse, quam fieri, atque ea propter a Caesare occisum. Si uera haec sunt, fortiter, pie, prudenter fecit Papinianus, nec reprehensionem *Bodini de Republica lib. 3 cap. 4* meretur. Pessime contra, ex *Thuari* quoque, scriptoris Catholici grauiissimi, in *Historiarum libro 53* iudicio, fecerunt uiri, ut ille ait, dignitate, pietate, integritate ac doctrina praestantes, et ab omni furo et uanitate alieni, Moruillierius, Thuanus, Monlucius, Pibracius et Belleureus, praesenti rerum statu eo adducti, ut famosam Parisiensium lanienam, quam intra se detestabantur, aut simulate laudarent, aut officiosa excusatione obscurarent. Atque rectius longe Franciscus Balduinus, Iureconsultus, Papinianum imitatus est, qui, quod factum detestaretur, Andino duci, opem eius et operam in eo propugnando imploranti, modeste se excusauit.

VIII

Illud uero magis dubium est, an is etiam minister odium principis mereatur, qui operam suam ad factum iniustum

iniustum, non suo tamen, sed principis ipsius nomine, defendendum commodare iussus refragatur. Fac enim, principem, apologiam belli a se iniuste suscepti uel suscipiendi, quam manifestum communiter vocant, promulgaturum, ingenio et stylo ministri cuiusdam sui ad hoc abuti uelle, at ministrum de iniquitate causae persuasum nolle officium praestare, ac dignitate sua ideo priuari. Rectene hunc innocentem et ueritatis *μαρτυρα* dicemus? Ita putamus. Neque est, quod dicas, ministrum, qui tale scriptum edere iubetur, tanquam instrumentum uel nuncium et interpretem alienae uoluntatis considerandum esse. Nam haec excusatio scribae forsan, qui exscripsit apologiam, librario, qui diuulgauit, praeconi, qui proclamauit, proderit. Subtilis autem, ut cum *Pufendorfio de Iure naturae et gentium lib. 8 cap. 1 §. 7* loquamur, excogitatio speciosorum argumentorum, adhibitio colorum et delinificae suadae lenocinio, pro pura executione alieni actus haberi nequit.

IX

Memorable imprimis est fidei crimen, quemadmodum a *Tacito Historiarum lib. 1 cap. 59 et 71* uocatur, quod ipsa uox satis explicat, nos autem sic describemus, quando minister, muneris sui partes ea, qua debet, dexteritate et probitate obeundo, offensam uel ipsius, cui seruit, Principis, uel aliorum incurrit, atque propterea in iudicium uocatur et punitur.

IXV

Grauiissimum autem, ut *Tacitus* in memorato *cap. 59* loquitur, fidei crimen est inter desciscences, seu in
feditio-

seditionibus, bellis intestinis et tumultibus civilibus. Nulla quippe re excandescunt magis seditiosi, quam fidei obstinatione, ut ab eodem *Tacito Historiarum lib. 3 cap. 39* uocatur. Aegre scilicet ferunt, tumultum suum, cui bonum publicum praetendunt, improbari. Ergo laborant primum de ministris illis in partes suas pertrahendis. Quodsi hi amicitiam eorum adspernantur, tum furere incipiunt et uiros optimos abnuere perseverantes hostes reipublicae appellant, in carcerem ac saepe ad supplicium rapiunt. Tale fuit centurionum illorum crimen, qui apud *Tacitum histor. lib. 1 cap. 56 et 59* Galbae imperatoris sui imagines contra tumultuantem exercitum protegentes, impetu militum abrepti uinctique et tandem a Vitellio occisi sunt. Recentius Barnabae Brissonii exemplum est, quem summo Parisiensi senatui praesidentem furens populus propterea, quod uir optimus in uniuersali ista Galliae seditione fidem exuere recusaret, laqueo suffocauit. Vide *uitam eius a Leickero ex Thuanii, Scaeuolae Samarthani aliorumque scriptis collectam*. Simile fere fatum fuit Humbercurtii et Hugoneri, fidissimorum Mariae Burgundicae, quae deinde Maximiliano Inupsit, ministrorum, atque ob hoc fidei crimen a rebellibus Gandauensi plebe in uincula coniectorum et, habita prius de iis seruilem in modum quaestione, supplicio affectorum, frustra per literas, uerba et lacrymas intercedente Maria. Rem optime describit *Fuggerus im Spiegel der Ehren des Erz-Hauses Oesterreich lib. 5 cap. 26 n. 13.*

XI

Triste hoc sine dubio fatum est, sed tristius longe, quum ipse princeps ministros optimos, de quorum

fide et innocentia non dubitat, furori tumultuantis populi sacrificare, sententiam contra eos capitalem ferre et hanc quoque exsequi cogitur. Funestissima nunc sese oculis imago motuum, qui magnam Britanniam circa medium seculum XVII sub Carolo I rege turbarunt & lacerarunt, offert. Nihil tunc crimine fidei frequentius. Perduellionem id, *high treason*, Angli uocabant, eiusque infimulabant omnes, quotquot regias partes tuebantur. Hos accusabant publice, damnabant, interficiebant. Sed prae aliis Comitum Staffordiensis supplicium memorabile est. Hic praecipuus regius consiliarius et administer populi erga se odium eo ipso, quod iussa principis sui studiose exsecutus erat, concitabat. Igitur perduellionis apud senatum regni postulatur. Et ab initio quidem rex, qui suum latus per hanc accusationem peti et sua facta ministro suo imputari animaduvertebat, acriter defensionem eius praesens in senatu suscipit, et, ut populo saltem aliquo modo satisficeret, exuere eum dignitatibus omnibus pollicetur. Nihil haec populum, nihil senatum mouent. Ille tumultuari pergit, hic iudicium coeptum continuat, Comitem ad mortem damnat, et sententiam, ut mos est apud Britannos, regi, nomen subscripturo, offert. Rex primum suscriptionem detrectat et iureiurando se, ne id faceret, obstrictum dicit, filium denique in senatum mittit et conuersionem ultimi supplicii in perpetuum carcerem offert. Sed quum nec sic quidquam proficeret, et tumultus indies augetur atque ipsi regi graue discrimen immineret, aures tandem archiepiscopo suo iusiurandum illud non ualere affirmanti praebet, imprimis autem magnanimis ipsius Comitum, qui scriptis ex carcere literis regem ad hoc hortabatur, precibus

cibus flectitur et adscriptione sua sententiam confirmat, fidemque ministri sui ipse punit. Plura hac de re uide in *Ludolphi Schan-Bühne der Welt* P. 2 lib. 41 cap. 8.

XII

Faciliores sunt principes in puniendis ob crimen fidei ministris, siquidem per hoc aut uindicare periclitantem existimationem suam, aut extero principi satisfacere, aut occasionem inde pactum sibi damnosum rescindendi, nancisci possunt. Saepe scilicet minister iussu principis uel expresso uel tacito negotium periculosaee plenum aleae suscipit et expedit. Apparet uero deinde, id, quod gessit, nociturum reipublicae uel principi. Promissimum ergo tunc remedium est, defugere auctoritatem, quod Galli *desavouer* uocant, et facta promissaque omnia diffiteri. Graue hoc per se est ministro famae et honoris studioso. Ut tamen facilius persuadeatur hominibus, ministrum mandati fines excessisse, et forte etiam ut satisfiat iis, qui per negotium istud aut rescissionem pacti se laesos queruntur, adiicienda est poena, carcer nonnunquam, interdum mors, plerumque muneris et dignitatum ademptio. Fuere ministri, principum suorum amantissimi, qui sponte poenam talem subierunt, principem ita uinculo, quo sese obligarat, exsolutori, aut periculum, quod ipsi imminebat, depulsuri. Recordamur hic Bateuillii, Hispanici ad Carolum II magnae Britanniae regem legati. Habebat is in mandatis, ut primum locum, quem sibi legatisque suis Hispaniarum reges adscribunt, contra quosuis tueretur. Idem ipsius, quod gerebat, muneris partes exigebant. Quamobrem non dubitabat Stradae marchionis, quem rex Galliarum ad eandem aulam ablegarat, familiam in
solemni

solemni pompa anteire conantem ui et caede per suos repellere. At Hispaniarum rex, quum Galli grauiter offensi bellum, ad quod ipse prorsus imparatus erat, minarentur, improbauit publice Bateuillii factum ac legationem ipsi ademit. Senferunt tamen alii simulationem regis. Nam, teste *Pufendorffio in Rebus gestis Friderici Wilhelmi Magni lib. 9 §. 25*, quum in aula Britannica praesente rege sermo de hoc facto esset et quaestio, ut sit, uentilaretur, qua re legatus maximam sibi gloriam pararet, responsio haec omnium plausu excepta est: *si quid faciat, quod ipsius princeps palam damnet, secreto probet*. Non deforent alia exempla legatorum et commissariorum, qui, ut principi promissa eorum reuocari liceret, immeritas poenas dederunt. Et potest is, cum quo negotium gestum fuit, iure quodam poscere, ut legatus eiusmodi aut commissarius poena afficiatur, ut recte sentit *Wicquefort de l'Ambassadeur P. 2 sect. 15*.

XIII

Est et hoc fidei crimen, quum minister suo principi, alium tamen principem superiorem agnoscenti, fideliter seruiendo iuraque eius controuersa asserendo superioris istius odium in se mouet. Non loquimur equidem de his, qui principem inferiorem superiori bellum iniustum inferentem aut occultis artibus improbe oppugnantem iuuant. Hoc quippe uerum crimen est. Sed illos nunc excusamus, qui principi inferiori, dum se suaque legitime tuetur, etiam aduersus superiorem adstant. Recte hi faciunt, et tamen a superiore, si uictoriam is reportat, plectuntur. Exemplum ex seculo XI desumemus. Iustum erat profecto bellum, quo Saxoniae principes

principes se contra Henrici IV Imperatoris tyrannidem tuebantur, si *Bertoldo Constantiensi*, *Lamberto Schoffnaburgensi* et *Brunoni*, qui *Historiam Saxonici belli* scripsit, ulla fides habenda est. Scilicet, ut *Lambertus* memorat, Imperator pessimis usus consultoribus principes regni recta suadentes plurimum auersabatur, nec eos ad consilium suum, nisi forte inexplicabilis necessitas incidisset, admittebat; quin imo auctoritatem eorum, si copia fieret, opprimi ac penitus obliterari cupiebat, ut in omne, quod animus suggessisset, effrenata libertate grassanti nullus obsisteret, nemo obloqueretur. Volebat praeterea, secundum eundem *Lambertum*, in *Saxoniam* exercitum ducere, et, deletis usque ad internecionem *Saxonibus*, loco eorum gentem *Sueuorum* constituere. Taceamus cetera. Vide tamen *Otonis* ducis ad milites de causis belli orationem in *Historia belli Saxonici* p. 107, cuius auctorem anonymum male uocat *Lebmannus* in *Chronico Spirensi* lib 5 cap. 28, quum ipse se in epistola ad *Werinherum Merseburgensium* praesulem operi praefixa *Brunonem* appellet apud *Freherum* in *Germanicarum rerum scriptoribus* tom. 1 pag. 99. Igitur tantis iniuriis merito inflammati *Saxonum* principes legatos semel iterumque miserunt ad *Caesarem*. Sed hi tam fores quam aures Imperatoris obfirmatas inuenerunt, et unus etiam, qui, captata loci et temporis opportunitate, Imperatorem adiit atque mandata exposuit, repulsus et in carcerem coniectus uix fuga mortem euitauit. Suscepere tandem bellum pro uita, libertate et bonis principes *Saxonum*, at infelici successu. Nam uariis cladibus et calamitatibus subacti se cum suorum praecipuis dederunt. Hos autem *Caesar* contra fidem datam in *Gal- liam*, *Sueuiam*, *Baioariam*, *Italiam* et *Burgundiam* de-

portauit bonisque spoliavit. Par fuit fatum ministro-
rum Aurelianensis Ducis, Ludouici XIII fratris, qui
domino suo iniuriis Richelii, quas hic regis nomine et
auctoritate tectus impune in omnes exercebat, petito
fideliter in fuga quoque adstiterunt. Nam secundum *Io-
annem de Bussieres in historia Francica lib. 24* rei laesae ma-
iestatis pronunciati et facultatibus suis exuti sunt, quin
et praecipuus eorum, Puylaurentius, in carcere tandem
necatus fuit.

XIIII

Luctuosa saepe fides sua est ministris, principi uerum
pro muneris ratione aperte dicentibus. Non loqui-
mur autem de his, qui intempestiue, importune aut uer-
bis acerbioribus id faciunt. Hi quippe imprudentiae
suae non immeritas poenas luunt, ut deinde ostende-
mus. Sed de illis sermo nobis est, qui modeste et ad-
hibita debita circumspectione, *molles aditus, mollissima
tempora fandi* inuestigantes, principi ea, quae debent, e-
loquuntur. Fieri hoc saepe non potest sine aliqua, obli-
qua saltem, reprehensione. Quam equidem, si mode-
sta et prudens est, boni et magnanimi principes aequo
animo ferunt. *Neque enim, ut Plinius lib. 7 ep. 20 ait,
ulli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari
merentur.* Verissimum hoc esse, exemplo suo Henricus
IIII Galliarum rex, cuius gloria nunquam intermorie-
tur, docebit. Is duce Sullio familiarissime utebatur,
ministro prudentissimo et fidissimo, sed, quod saepe istis
uirtutibus tanquam auctarium quoddam accedit, moro-
so paululum et in proferenda animi sui sententia liber-
rimo. Dederat tamen rex ei potestatem sese monen-
di, quoties opus esset. Neque offendebar, quanquam
Sulli-

Sullius subinde data sibi licentia audacissime uteretur. Vnum afferemus ex *Commentariis de uita Sullii*, qui ipsius iussu compositi sub titulo: *Memoires des sages et royales economies d'Etat, domestiques, politiques et militaires de Henri le Grand* exstant, et quidem ex *Vol. 1 cap. 82* exemplum. Ostendit illi aliquando rex pacta dotalia cum femina uiliori contra decus et salutem regni inita, atque ipsa regis manu perscripta. Accepta legit Sullius, perlectaque, praesente rege, discerpit: En, inquit, meum, quod poscis, rex, de ista promissione tua iudicium. Tum rex subiratus, insaniretne, quaerit. Cui Sullius: insanio utique, responder, sed, quam uellem, ut solus in Gallia insanirem. Exposuit deinde rationes huius facti sui regi, nec postea difficiliorem sibi eum, quam olim habuerat, sensit. Similis felicitas Flisci Cardinalis fuit, qui, quum se Iulio II Pontifici tum in eius electione, tum in ipso regimine, saepe, ut res ferebat, acerrime opposuisset, tamen tantum abest, ut damnum ullum acceperit, ut insuper a Pontifice reditu septem millium aureorum ditatus, maximoque in pretio habitus sit. Sed, quod ex hoc exemplo colligunt *Hier. Platus lib. de Cardinal. dign. et offic.* atque *Chokierius in Thesauro Politicorum aphorismorum lib. 3 cap. 13 n. 12*, non posse bonum ministrum ueritate ac dicendi libertate gratiam etiam non boni principis perdere, hoc uix cuiquam persuadebunt. Equidem Iulii II defensionem non suscipiemus. Bonum illum episcopum fuisse, nemo dixit unquam. At ea, quae in principibus laudari solent, non prorsus in illo defuerunt. Gloriam studium, animum impavidum, liberalitatem, prouidentiam, in rebus agendis habilitatem, laborum tolerantiam hostes etiam in illo mirati sunt.

sunt. Haec uero ad bonum principem etsi non sufficiant, tamen inter alia requiruntur. Ergo ex bonorum magnanimorumque principum classe non prorsus eiiciendus est Iulius. Recte Baylius in *Dictionario art. Iules II*: *Quoi qu'il en soit, ait, on peut dire, que, si ce Pape n'auoit pas les qualitez d'un bon Evêque, il auoit du moins celles d'un Prince conquerant.* At principes, quorum paruus abiectusque animus uel mores prorsus corrupti sunt, reprehensiones nunquam aequo animo ferunt, sed monitoribus asperi hos odio et poenis persequuntur. Exempla non desunt, si uel nostra tempora excutiamus. Sed praestat, ad antiquissima redire. Charidemum memorabimus, qui sciscitanti apud *Curtium lib. 3 cap. 2* Dario Persarum regi suam de illius exercitu sententiam plane exposuit, regiae superbiae oblitus, sed propterea iussu regis, ceteroquin mitis ac tractabilis, ad capitale supplicium abstractus est.

XV

Dubium tamen hic occupandum est, quod fortassis mouebitur, numquid scilicet minister ad uerum cum periculo suo dicendum obligetur, et annon potius prudentiae leges silentium ei imponant. *Plato* certe in *epistola ad Dionys.* Hoc, ait, animo erga patriam esse debes, ut ita reprehendas, si quid tibi non recte administrari uideatur, si futurum putas, ut neque frustra sis reprehensurus, neque ob reprehensionis studium uitae periculum adeas. Verum enim uero haec Platonis regula ad eos pertinet, qui generaliter saltem tanquam ciues reipublicae obligantur, non etiam ad eos, quos muneris specialiter suscepti necessitas ad uerum dicendum obstringit, quos nullus merus ab officio suo explendo arcere

cere debet, nisi manifesto, hoc inutile futurum, uideant. Quamdiu ergo spes aliqua adest, fore, ut monita sua apud principem pondus habeant, timor offensionis et mortis quoque negligendus est. Recte *Siracides cap. 4 uers. 33*: Ad mortem usque, ait, certa pro ueritate, et Dominus Deus pugnabit pro te. Illustre factum Senatus Parisiensis, Praesidisque eius Lanacrii, *Bodinus de Republica lib. 3 cap. 4* refert. Ludouicus XI rex edicta quaedam iniqua in curia Parisiorum publicari iusserat. Curia accipere ea recusat, propterea, quod iniqua cuique uidentur. Rex sua iussa ingeminat capitisque poenam minatur curiae, ni pareat. Lanacrius praeses, re intellecta, regem adit, corona iudicum purpuratorum stipatus, nec culpam deprecatur, sed mortem precatur, atque se suosque collegas mortem ait malle, quam legis propositae promulgationem pati. Tum rex incredibili magistratuum fortitudine et constantia perterritus, legem abrogari ac rescriptum praesentibus iudicibus lacerrari iubet, testatus, se nulla deinceps edicta laturum, quae curia improbareret, obtestatur praeterea iudices, ut pari fide et integritate semper iudicent. Incredibile dictu est, quanti fuerit ea res ponderis ac momenti ad regem in officio retinendum, qui semper antea suo arbitrio ac imperandi licentia abuti consueuerat. Subiicit idem *Bodinus eodem loco* aliud Cancellarii exemplum, qui domino suo, Philippo II Burgundionum principi, legem, quam ille ex reliqui senatus sui consilio ferre parabat, maxima contentione dissuasit, et, quum nihil proficeret, sigillum remisit et munere se abdicauit, atque hac inuicta constantia sua principem permouit, ut iussa reuocare, quam forti et sapiente ministro carere, mallet.

Adde *Annales Burgundicos in Philippo*. Haec igitur, egregie addit Bodinus, ministrorum uis animi ac fortitudo principes ab infamia, leges ab interitu, respublicas ab excidio saepe seruauit.

XVI

Bonis aliquando ministris fides, quam principi suo constantissime exhibent, tam diu quidem, quam uiuit ille, in laudem, sed post mortem eius a successore pro crimine imputatur. Difficillima scilicet res est, principi ita seruire, ut simul futuro eius heredi placeas. Saepe heres iniqua, et quae sine graui detrimento principis et prouinciae concedi nequeunt, poscit, atque ministris abnuentibus acerrime irascitur. Saepe ipsi principes, auctoritatis suae et iuris tenacissimi, nolunt quidquam eius cum filiis, fratribus uel agnatis hereditatem sperantibus communicari, quamobrem eos regimine et consiliis suis arcent penitus, potestatem eorum arctissimis limitibus circumscribunt, atque ad hoc ministrorum suorum, qui inuiti licet obedire necesse habent, ope utuntur. Displicet haec tractatio heredi futuro, qui tamen contra patrem aut principem, dum uiuit et imperat, hiscere non audet, ministris autem, in quos culpam saepe immerito coniicit, malum machinatur et aliquando, si confidentior est, aperte minatur. Notum est Caroli, Philippi II, Hispaniarum regis, filii exemplum, qui Duci Albano et Rui Gomezio, purpuratis patris sui praecipuis, ideo maxime, quod postulatis eius non semper adnuerent, nec ipsum in societatem consiliorum, quibus rex eum arceri uolebat, admitterent, inimicum se profitebatur et exitium aperte denunciabat.

Vide

Vide *Abbatis de Saint Real Don Carlos Nouvelle historique* p. 47 sq. Sed isti quidem ministri imminens sibi discrimen, extincto ante patris mortem Carolo, effugerunt. Alii autem infeliciores hac in parte fuerunt, poenasque fidei suae post principis mortem heredi et successori eius luerunt. Trahi huc potest locus ille *Plautinus ex Casina Actu II scen. 5.*

OLYMPIO seruus: *Inimica est tua uxor mihi, inimicus filius,
Inimici familiares.*

STALINO herus: *quid id refert tua?*
*Vnus tibi hic dum propitius sit Iuppiter,
Tu istos minutos caue deos flocci feceris.*

OLYMPIO: *Nugae sunt istae magnae. quasi tu ne-
scias,
Repente ut emoriantur humani Ioues.
Sed tandem, si tu Iuppiter sis emortuus,
Quum ad deos minores redierit regnum
tuum,
Quis mihi subueniet tergo, aut capiti,
aut cruribus?*

Sic Schvvarzenbergio comiti apud *Pufendorffium de rebus gestis Friderici Wilhelmi Magni lib. 1 §. 3* post mortem Georgii Wilhelmi electoris hoc inter alia crimini datum est, quod electorem illecebris suis pepulerit, ut filius heres ab omni consiliorum, quae agitata fuerant, rerumque notitia arceretur.

XVII

Non longe ab his recedunt ministri, qui, dum principi fideliter seruiunt, coniugem eius, matrem uel reliquam familiam offendunt, earumque calumniis apud prin-

principem adpetiti tandem fidei suae poenas ipsi saepe principi, credulo nimis et suspicioso, persoluunt. Exempli recentiora non desunt. Sed praestant antiqua, ex quibus unum in praesens memorabimus. Alexander apud *Curtium lib. 7 cap. 1* Amyntam et Simmiam suspectos sibi esse dicit matris suae literis, quibus esset admonitus, ut ab his salutem suam tueretur. Respondet Amyntas: *Meministi, inquit, quum me ad perducendos ex Macedonia milites mitteres, dixisse te, multos integros iuuenes in domo tuae matris abscondi. Praecepisti igitur mihi, ne quem praeter te intuerer, sed detrectantes militiam perducerem ad te. Quod equidem feci, et liberius, quam expediebat mihi, exsequutus sum imperium tuum. Gorgiam, Hecateum et Gorgatam, quorum bona opera uteris, inde perduxi. Quid igitur iniquius est, quam me, qui, si tibi non paruisssem, iure daturus fui poenas, nunc perire, quia parui? Neque enim ulla alia matri tuae persequendi nos causa est, quam quod utilitatem tuam muliebri praeposuius gratiae. Sex millia Macedonum peditum et DC equites adduxi, quorum pars sequutura me non erat, si militiam detrectantibus indulgere uoluisssem. Sequitur ergo, ut, quia illa propter hanc causam irascitur nobis, tu mitiges matrem, qui irae eius nos obrulisti.*

XVIII

Fidis autem ministris non ab herede solum et familia principis, sed et a ceteris ministris et consiliariis periculum imminet, qui aegerrime ferunt, illum solum gratia et auctoritate apud principem florere, consilia eius praeferrí, sua negligi. Itaque enixe omnia faciunt, ut eum fauore, quem nactus est, priuent, et de loco suo deturbent. Ac saepe quidem astu, quod cupiunt, consequun-

sequuntur, si non sub illo, apud quem minister iste plurimum potuit, principe, tamen sub successore eius. Tum uero ea ipsa, qua ualuit olim, gratia pro crimine obii-
citur, et, quidquid offensarum ceteri ministri acceperunt aut accepisse se credunt, ipsi imputatur. Tale post mortem Henrici IV Galliarum Regis fatum expertus est dux Sullius, quem iam supra memorauimus, fidissimus defuncti regis intimusque minister. In hunc consurrexere omnes, qui consilia sua ab Henrico Sullii consiliis posthabita indignati fuerant, perpuleruntque reginam, ut uirum optimum, cui auctoritas fide, labore et uigilantia parta pro crimine erat ad abdicandum sese dignitatibus merito obtentis cogeret, atque in uillas suas recedentem acriter persequeretur. Similis fortuna *Ximenis Cardinalis* sub Carolo V Imperatore in Hispania fuit, quemadmodum ex *Commentariis de uita* eius scriptis patet.

XVIII

Sed grauiissima haec res accuratiorem paullo considerationem meretur. Examinabimus ergo quaestionem ICris Helmstadiensibus non ita diu propositam; an ministrissimatus crimen sit. Ministrissimatum autem, sit barbarae uoci uenia, dicimus, quando quis ex purpuratis in hoc gratiae et auctoritatis culmen adscendit, ut instar ipsius principis res omnes suo arbitrio dirigat et administret, atque ceterorum ministrorum consensum negligat, et multa ardua negotia, ne quidem iis in consilium uocatis, expediat. *Eunapius de uitis philosophorum* ministrissimatum talem βασιλείαν ἀπόρρονον, regnum sine purpura, *Zosimus lib. 2* ἀρχὴν μετὰ τὰ σχῆμα, alterum post scepra imperium uocat. Facile ex his ap-

D

paret,

paret, nobis non de praecipuo ministro, qui primum saltem in consilio principis locum obtinet, et uulgo *Premier Ministre* appellatur, atque in rebus gerendis et decernendis ad consensum reliquorum purpuratorum alligatur, sermonem esse. Hic enim a ministrissimo, quem supra descripsimus, longissime differt, quum ministrissimus non semper primum, sed saepe alterum, tertium aut inferiorem inter purpuratos locum obtineat. Prouocamus ad exemplum Pontificum Romanorum, qui ministrissimum, seu, ut uoce Romae consueta utar, Cardinalem Patronum, fere omnes constituunt, non tamen senatus purpurati principem, Cardinalem Decanum uulgo dictum, sed ex iunioribus quempiam, plerumque sanguinis necessitudine sibi iunctum, unde et Cardinalis Nepotis nomen, raro extraneum, si Innocentium XI, qui Cibus Cardinalem sibi delegerat, excipias. Vide librum, qui sub titulo *il Nipotismo* exstat. Quin imo primi Imperatores Romanorum nec senatoribus quidem, sed libertis suis pro ministrissimis utebantur, ut uel ex Claudii exemplo apparet, quem libertis addictum non principem se, sed ministrum egisse, *Suetonius in Claudio cap. 29* ait. Sed et de ceteris *Plinius Panegyri: Principes*, inquit, multi ciuium domini, libertorum serui.

XX

Num igitur ministrissimatus crimen est? Ita sentire uidetur *Hertius*, qui in *elementis iurisprudentiae ciuili* P. 1 sect. 10 §. 11 ministrissimum describit potissimum aulae, qui praestigiis suis apud regem huc illuc agitatam omnia potest. Ergo ministrissimus ei praestigiator est. Et uidetur quoque ministrissimus in hoc peccare, quod iura

iura aliena et maxime principis, quae sacrosancta esse debent, usurpet. Deinde leges et mandata principum non ab uno saltem ministro proficisci, sed in senatu et consilio prius tractari atque omnium consensu probari oportet, per *L. 8 C. de Legibus*. Accedunt denique odiosissima Hamanni sub Ahasuero, Seiani sub Tiberio, Richelii sub Ludouico XIII, Ancraei sub matre eius, et aliorum quam plurimorum ministrissimorum, qui potestate sua abusi sunt, exempla.

XXI

Haec tamen nos, ' ut ministrissimum pro crimine reputemus, non mouent. Equidem id Hertio facile largimur, fuisse quosdam, qui astu et praestigiis sibi uiam ad hoc fastigium patefecerunt. Verum hoc iis, qui legitimo modo ad hoc culmen perueniunt, labem nullam adspersit. Aliquos scilicet uoluntas ipsius principis ad eam potestatem euehit. Nam saepe is uel otium amat laboresque auersatur, uel, ingenium suum quam sit exigium et negotiis atque regnandi artibus impar, agnoscit sponte, uicesque suas probo et prudenti uiro gerendas committit. Numquid ergo hic, si principi obsequitur, et onus oblatum non recusat, peccabit? Non putamus. Alios non tam uoluntas principis, quam necessitas et publica salus subigit, ut ministrissimum suscipiant, quum uidelicet principis uel aetas tenera, uel, si mulier imperet, sexus infirmior, uel pingue et ineptum rebus gerendis ingenium rectore et moderatore opus habet. Tum uero, uel inuito principe, is, qui primum inter ministros locum tenet, ne respublica detrimentum capiat, providere, gubernacula eius ad-

prehendere, negotia publica, ut par est, expedire et principis ipsius saepe errantis et in auia ruentis uoluntatem et actiones moderari debet. Esse uero principes nonnullos tali ingenio praeditos, ut gubernatorem palam adspersentur, sine eo tamen uiuere et salui esse nequeant, uel ex historiis discimus. De duce Aurelianiensium, Ludouici XIII fratre, scite *Cardinalis Rhetzius in Commentariis de uita sua tom. 2 p. 286: La faveur, inquit, de Mr. le Duc d'Orleans ne s'aqueroit pas, mais elle se conqueroit. Il sçauoit, qu'il étoit toujours gouverné, & il affectoit toujours d'éviter de l'être, ou plutôt de paroître l'éviter: & iusques à ce, qu'il fut dompté, pour ainsi parler, il ruoit & donnoit des saccades.* Simile fere fratris eius, Ludouici XIII, ingenium fuit, quem *Nani lib. 12 historiae Venetae ad annum 1643* nesciuisse ait se contra ministrissimorum artes tueri. Et si altius paulo in Gallorum historias adscendas, famosi illi maiores domus occurrent, qui regum luxui deditorum, imbellium et ineptorum uicem diutissime sustinuerunt.

XXII

Sed, ais, inuolat sic tamen ministrissimus in possessionem iurium alienorum, inuadit et usurpat ea, quae principis sunt. Fatemur. Sed non peccat tamen. Nam si princeps hanc ei potestatem dedit, uolenti iniuria nulla fit. Si uero ipse salute publica inductus regimen, cui princeps idoneus non erat, eo licet inuito, suscepit, atque rempublicam labentem fulsit, et, ut omnia recte atque ordine suo irent, curauit, tantum abest, ut deliquerit, aut praestigiator appellari possit, ut potius humaniter, pie, prudenter fecisse et laudem meruisse dicendus

cendus sit, nisi forte negotiorum gestionem, susceptam furiosi curam, retentionem hominis in perniciem suam ruentis inter crimina referre audes. Quod uero ad *L. 8 C. de Legibus* attinet, in qua Iustinianus modum conficiendi leges et expediendi negotia praescripsit, non putamus fore quempiam tam insulsum, ut principes nostros ministrosue eorum normae huic in curatione reipublicae alligatos putet, quam Iustinianus ipse, si *Procopio in Anecdotis* fidem habemus, non seruauit, sed pleraque ex solius Triboniani, ministrissimi sui, arbitrio administrauit.

XXIII

Restat, ut ad exempla, quae nobis obiciuntur, respondemus. Possent haec forsitan alicuius momenti uideri, nisi alia in contrarium ministrissimorum, qui fastigium hoc legitime obtinuerunt, et sancte se ac sapienter in eo gesserunt, exempla exstarent. Sed quum haec habeamus, funestae istae de Seianis, Wolfacis, Anacraeis historiae non magis uirtutum bonorum ministrissimorum obscurabunt, quam iustis principibus tyrannorum quorundam saeuitia nocet. Opponimus ergo improbis istis Iosephum, qui sub Pharaone, Aegyptiorum rege, Daniele, qui sub Dario Medo et Cyro Persa, Agrippam et Maecaenatem, qui sub Octauio Augusto ad clauum regnorum et imperii sederunt prudenter, feliciter et gloriose. Addere his audemus ipsum Richelium, qui, si non per omnia boni uiri officium expleuit, regem tamen suum contra iniurias matris egregie tutatus est, auctoritatem eius collapsam fere restituit, rebelles coercuit, regnum Galliarum a uicinis misere ue-

re uexatum ad eam, in qua nunc conspicitur, potentiam euexit, et sic officio fidi ministrissimi mirifice satisfecit. Non inficiamur tamen, paucos ex ministrissimis ad mortem usque in culmine suo perstitisse, sed plurimos deiectos tandem uitam misere finisse, qualia potissimum exempla *P. D. P.* in libro *Histoire des plus illustres fauoris anciens et modernes* dicto collegit. Verum inde conficitur quidem, infelices eos, non etiam, improbos et iniustos fuisse, quum in uita quoque communi haud infrequens sit, bonos piisque uiros calamitose mori.

XXIIII

Quae quum ita sint, facile nunc apparet, quid iudicandum fuerit de casu, quo ministrissimo cuidam hoc pro crimine obiiciebatur, quod se solum in grauissimis negotiis a principe consuli et decreta maximi momenti, neglecto ceterorum consilio, fieri passus esset, neque consultationibus publicis semper interfuisset, sed ex ceteris ministris aliquem de iis ad se referre curasset. Equidem melius facere principem, qui non ex unius hominis consilio pendet, fatemur ipsi. Saepe accidit, ut egregie monet *Comineus Commentar. lib. 2 cap. 2*, prudentes etiam uiros errare et labi in dicendis sententiis, quorum peccatum, si amplior sit deliberantium numerus, facilius emendatur. Et detrahi quid uidetur existimationi et gloriae principis, si unius uel paucorum hominum uerbis et arbitrio se totum permittit.

XXV

Verum enim uero consilium hoc tantum est, non praeceptum. Accidere quippe possunt multa, quae efficiunt,

ciunt, ut consultius etiam sit principi, summam rerum uni committere. Quid enim, si talia obueniant negotia, quae sine periculo cum pluribus communicari nequeunt? Quid, si de ceterorum consiliariorum fide dubitet princeps, de ministrissimi autem integritate certus sit? Quid, si reliqui rem, de qua agitur, non satis capiant? Imprudens profecto tunc erit princeps, nisi unum adhibeat, cui fidere potest. Non ignoramus quidem, uixisse principes, quibus exitio fuit, unum uel paucos, exclusis aliis, in consilium sumsisse. Perdidit hoc Galbam Caesarem, qui, quum summo fauore et maxima omnium expectatione adeptus esset imperium, in contemptum mox incidit propterea, quod trium saltem, quos una et intra palatium habitantes, nec unquam non adhaerentes, paedagogos uulgo uocabant, arbitrio rege-
retur. Vide *Suetonium in Galba cap. 14.* Perdidit idem Carolum simplicem, Galliarum regem, qui, quod uni Aganoni Laudunensi fideret, unum audiret, uni arcana mentis, consilia rerum et prouinciam omnem committeret, atque non modo unum anteponeret ceteris, sed ceteros ne longo quidem interuallo in secundas tertiasue partes admitteret, odia erga se procerum excitauit, atque ab his bello petitus et captus in carcere obiit. Qua de re plura uide in *Io. Papirii Massoni annali 2.* Amisit ob eandem causam Isaacus Angelus, Constantino-
polititanus Imperator, existimationem, imperium, oculos. Is enim, ut *Nicetas Choniates lib. 3 de Isaaci Angeli imperio* memorat, primum Theodoro Castamonitae summam rerum mandauit, illius arbitratu huc atque illuc instar mancipii tractus est, et, quidquid ille uoluit, egit, nunquam fere suo iudicio interposito, nec quenquam
ex

ex principibus Castamonitae adlidere, sed omnes seruili gestu adstare uoluit; deinde, Theodoro mortuo, beneuolentiam suam in adolescentulum quendam, cui literature adhuc et tabella opus erat, transtulit, atque hoc quoque extincto, paruum puerum, qui a calamo et atramento uix discesserat, summam rerum administrare, se eius arbitratu, ut maximus cetus a propompo, minutissimo pisce, duci et circumagi, atque illum militaria quoque negotia tractare passus est, non secus, ac si a cunabulis ad maximarum rerum administrationem esset enutritus uel ante natiuitatem omnia sciuiisset, quemadmodum sibyllam, simulac ex materna aluo prodiit, de fabrica uniuersi disseruisse ferunt; adeo, ut pusio hic maiorem ipso Castamonita auctoritatem consequutus Imperatori, quidquid lubebat, tanquam summum et incomparabile bonum, persuaderet, non absumilis apiculae aut culici, aurem leonis circumsonanti, aut atro pumilioni, maximum terrae pondus, elephantem, gubernanti, aut tenui funiculo camelum naso trahenti. Hos, inquam, principes nimia quidem in ministrissimos suos beneuolentia perdidit. At quis non uidet, causam exitii non ipsam ministrissimi constitutionem, sed commissum in eligenda persona errorem fuisse. Galba scilicet uiros improbissimos, Carolus simplex uilem hominem, Isaacus primo intolerabilis superbiae uirum, deinde imprudentes pueros adsumserunt. In hoc itaque solo peccarunt. Non peccat uero princeps, si uirum honesto loco natum, aetate et iudicio maturum, literis instructum, modestum, pium, probum, patriae amantem deligit, et huic summam rerum administrandam committit.

XXVI

Ergo, si princeps non peccat, nec minister peccabit, qui oblatum onus subire non recusat, atque solus de negotiis grauissimis consultus respondet, nec, ut ceteri quoque in consilium adhibeantur, importune et intempestiue flagitat. Nec iuste faciunt ministri reliqui, qui hoc deinde pro crimine obiiciunt. Debebant illi memores esse eius, quod M. Terentius apud *Tacitum An- nali 6 cap. 8* Tiberio Caesari dicit: *Non est nostrum, aesti- mare, quem supra ceteros et quibus de caussis extollas. Ti- bi summum rerum iudicium dii dedere, nobis obsequii gloria relictum est.* Mouerunt haec ICtos Helmstädienses, ut sic mense Ianuario anni 1719 CC XIX principi cuidam responderent: Es mag dieses, daß Seine Durchl. solche Erlaubniß, ohne das Gutachten der übrigen Rätthe darüber zu vernehmen, ertheilet, dem Arman- do nicht beygemessen werden, indem gar nicht unge- wöhnlich ist, daß ein regierender Herr ein wichtiges und Verschwiegenheit erforderndes Geschäfte einem einigem Minister aus sonderbarem Vertrauen, ohne die Sache mit denen übrigen Rätthen zu communici- ren, aufträget, wie denn auch an Fürstlichen Höfen gebräuchlich ist, daß die vornehmste Ministri, sonder- lich, wenn sie in publiq Sachen und auswärtigen Verschießungen gebraucht werden, wegen Mangel der Zeit den in Iustiz- und Policen-Sachen vorge- henden öffentlichen Berathschlagungen nicht bey- wohnen, sondern sich davon in ihren Häusern refe- riren lassen. Adde *Adamum in Vitis Germanorum Iure- consultorum et Politicorum pag. 38*, ubi inter ceteras Leon- hardi ab Eck, Consilarii Bauarici, laudes hoc quoque

E

refert,

refert, quod labores plurimorum consiliariorum ipse solus in se suscepit, atque a principe suo ad consilia omnia, saepe etiam ad consultationes quasdam grauissimas, fere solus, aut adiunctis paucis, adhibitus fuerit. Laudantur etiam hodie Mecenas et Agrippa, quibuscum solis Augustus secundum *Dionem lib. 53* imperii arcana communicare solebat, neglecto senatu, neglecto, quod ipse sibi selegerat, intimiore XX doctissimorum et prudentissimorum uirorum consilio.

XXVII

Sed satis de ministrissimo. Minor quidem auctoritas, sed et minus periculum est praecipui ministri, qui, quemadmodum diximus, in expediendis negotiis collegas suos audire, atque, si sententia sua ceterorum suffragiis uincatur, opinionem plurimorum sequi necessum habet. Vide *Seckendorffii Teutschen Fürsten-Staat P. 2 cap. 6 §. 5*. Huic itaque imputari non debet negotium, imprudenti licet et damnoso reipublicae atque principi consilio, sed tamen adhibito ceterorum ministrorum consensu, susceptum et gestum. Nulla scilicet penes eum, qui exsequitur senatus consultum tale, culpa residet. Nam quamuis id parum proficuum animaduertat, faciendum tamen est, quod plerisque placet. Ergo non magis obligatur, quam iudex, qui iniustam sententiam ex adfessorum suffragiis collectam protulit. Vide *L. 2 Quod quisque iuris in alterum statuerit* et *Donellum Commentar. iur. ciu. lib. 28 cap. 2*. Sic responderunt Icti Helmstadienses mense Ianuario anni clo 10 CC XIX: Daß solcher Recess von den übrigen Råthen und Sr. Hochfürstl. Durchl. selbst gebilliget worden, folglich, wenn

wenn selbiger gleich der Herrschafft in einigen Stücken schädlich wäre, dennoch dieser Schaden dem Armando, ungeachtet er hauptsächlich daran gearbeitet, nicht zugeschrieben werden kan.

XXVIII

Optima consilia infelicissimum exitum habere, quotidie uidemus. Saepe, inquit *Sallustius in Orat. 2 ad Caesarem de republic. ordin.* praua magis, quam bona consilia prospere eueniunt, quia plerasque res fortuna ex lubricine sua agitat. Nihil hic imputandum esse consiliario, per se patet. Nullus, ait Pontifex in *c. 62 de Reg. iuris in 6*, ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur. Adde *L. 47 de Reg. iuris et L. 2 §. ult. Mandati.* Et nihilo tamen minus animaduertes, fidos bonosque consiliarios, si forte consilia eorum ex uoto non ceciderunt, perfidiae aut saltem imperitiae et imprudentiae insimulari et puniri. Suo iam tempore *Demosthenes 1 Olinth.* duram fuisse ait conditionem eorum, qui in dandis consiliis et in gerendis rebus uersarentur, quum eorum fides ex euentu soleret aestimari. Verum cordati et aequi iudices casum a dolo et culpa distinguunt, et ministrum ideo, quod fortuna consiliis eius non respondit, accusatum absoluunt. Vide *Lauterbachium de consiliis eorumque iure P. 2 cap. 1 §. 3, 4.* Excusandus autem est consiliarius non solum tunc, quum consilium eius ab initio nihil discriminis habere uisum est, sed et, quum anceps et periculosa plenum aleae fuit. Nam talia saepe in reipublicae administratione incidunt tempora, quae audaciam poscunt. Talis saepe est regni status, ut mediocribus consiliis saluus esse ne-

queat. Medicum tunc imitari oportet, qui desperatum morbum curaturus non secunda et lenia, sed uiolenta et periculosa, urgente necessitate, remedia adhibet. Sicut ergo huic, et si res sinistre cecidit, imputari nihil potest, ita quoque consiliarius, qui ad seruandam rempublicam audacius consilium infelici successu dedit, laudari potius, quam accusari et puniri, debet. Et in dubio, quotiescunque consilium anceps fuit, et in utramque partem disputari potuit, praesumendum est, ministrum, qui illud dedit, non perfide, sed bona mente egisse. Sic Icti Vitembergenses mense septembri anni 1610 CCX responderunt: Verlanget derselbe Unterricht, ob derjenige Diener, so dergleichen Rathschläge Fürst Ludouico giebet, hieran unrecht handele, und wie er deshalben zu bestraffen sey. Nun verbindet bekanneten Rechten nach ein Consilium, dabey kein Dolus mit unterläuffet, denjenigen, so solches gegeben, zu nichts, hingegen wird der dolus leichtlich nicht praesumiret, sonderlich in gegenwärtigem Fall, da auf beyden Seiten gar wahrscheinliche Argumenta angeführet werden.

XXVIII

Aliquando tamen ministri principis uel in consiliis dandis, uel in muneris sui administratione peccant, non ex dolo, sed per culpam et negligentiam. An ergo tunc obligabuntur? Gradus culpae hic distinguendos esse, unusquisque uidet. Si lata haec fuerit, minister et ad damni restitutionem et ad poenam obligari, fatemur lubenter, et eatenus *Schoepffero de Culpa lata ministri status cap. 1 n. 82* assentimur, a quo tamen in hoc rece-

recedimus, quod, exempla, quae in *cap. 2* subiicit, ad la-
tam culpam referri posse omnia, non putamus, sed, ple-
raque eorum uel leuem uel leuissimam culpam tantum
continere, arbitramur. Aequa etiam est Schoepfferi
sententia, quod ad culpam leuem, damnum scilicet per
illam datum a ministro restitui debere, poenam tamen
propterea infligi non posse, et praeferenda longe opi-
nioni *Myleri ab Ebrenbach in Hyparchologia cap. 18 §. 7*,
poenam quoque tunc locum habere, autumantis. Quod
uero ad culpam leuissimam attinet, et poenam et da-
mni restitutionem cessare debere, credimus. Equidem
non ignoramus, obiici nobis posse argumentum a pro-
curatore desumptum, qui per *L. 11 et 13 C. mandati* ex cul-
pa leuissima obligatur. Verum durissimas has leges ad
solos negotiorum priuatorum curatores restringi oportet.
Ad publicarum rerum ministros argumentum
potius a tutoribus curatoribusque pupillorum et mino-
rum trahendum est, qui de culpa leui tantum respon-
dent, non de leuissima, *L. 7 C. Arbitrium tutelae*. Vide
L. 6 de administratione rerum ad ciuitatem pertinentium.
Atque hoc profecto aequissimum est. Quantacunque
enim adhibeatur a ministro circumscriptio, errabit ali-
quando et labetur. Declinare hoc nec sapientissimus
poterit. Tristissimum autem foret, inuitabile huius-
modi peccatum iactura bonorum suorum luere. Hu-
manius ergo faciunt, qui ministro leuissimam culpam
remittunt. Faciunt hoc ex DD. Curtius, Parisius, Hon-
dedeus, Goeddeus, Crauetta, alique, quos *Mylerus in*
Hyparchologia cap. 19 §. 4. memorat.

XXX

Sed exemplis opus est, ut res clarior fiat. Ministri, hi maxime, qui primum locum tenent, aut plura officia gerunt, quantumuis prouidentissimi et diligentissimi sint, cauere tamen non poterunt, ut negotiorum mole obruti aliquando, quod gerendum erat, non omittant, uel saltem, ut ab iis, quorum seruitio ipsi in negotiis gerendis utuntur, nihil peccetur. Quodsi ergo huius cul-pae, quae unicuique facillime obrepit, ratio reddenda est, nemo erit in quacunque aula minister paullo excel-sior, cui iudicium non metuendum sit. Sed tyrannis foret profecto, talia ministro imputare. Factum tamen id est nonnunquam. Ludouicus de Marillac, Galliae marechallus, sub Ludouico XIII rege accusatus et sup-plicio affectus est ob peccata tam leuia, ut ab illis im-munis esse nequeat, quisquis cum imperio ad exercitum mittitur. Cuncta, quae illi obiiciebantur, delicta circa foenum, stramenta, lapides, ligna, calcem uersabantur. Vide *la Relation du procès du Marechal de Marillac pag. 8 et 18.* Ipse Marillaci capitalis inimicus, Richelius, si *Ab-bati de Marolles dans son abregé de l'histoire de France* et auctori anonymo *de l'histoire du Cardinal de Richelieu tom. 2 p. 52* fidem habemus, quum illum ad mortem da-mnatum audiuisset; non credidisset, inquit, iudices in factis eius reperturos fuisse quidquam, ob quod ephe-bum uirgis castigare fas esset. Idem Condeum princi-pem dixisse, *Vigneul Marville Melange d'hist. et de litter. tom. 2 pag. 15* auctor est.

XXXI

Aliud culpae leuissimae genus est, quando minister negotium quidem per se innoxium, sed, ex quo tamen oblique damnum in principem suum redundat, gerit, aut consilium tale suggerit. Peccare illum, non dubitamus. Decet quippe prudentem uirum et ministrum maxime, antequam ad res gerendas accedit, peritum aleatorem imitari, qui, ut *Hieronymus Vida in Scacchia ludo* belle ait,

- - cunctatur et haerens

Vsque alium ex alio spectando praeuidet ictum.

Non praesentia tantum respicere oportet, sed et prospicere futura. At quam facile hic etiam prudentissimi labuntur! Itaque uenia huiusmodi erroribus danda est, quam illis Romanae etiam leges indulgent, quae scrupulosam inquisitionem non exigunt. Vide *L. 6 de Iuris et facti ignorantia*. Atque sic responderunt Icti Helmstadienses mense Ianuario anni cl^o Is CC XIX: Daß die, dem Fürsten von Epiro zu gefallen, bey der Spartanischen Cession gemachte Hinderungen das Königlich Macedonische Interesse directo nicht betreffen, und Armandus eben nicht vorher sehen können, daß aus solcher Handlung seiner Herrschafft einiger Nachtheil zuwachsen würde.

XXXII

Laxamentum aliquod ministris ad reficiendas uires et recreandos animos indulgendum esse, sanus nemo inficiabitur. Inuidendus ergo illis non est secessus in praediola sua. Nam, ut *Catulli uerbis in carmine ad Sirmionem peninsulam* utamur,

O quid

O quid solutis est beatius curis,
Quum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi uenimus larem ad nostrum,
Desideratoque adquiescimus lecto!
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.

Licebit ministris, conuiuia instruere, licebit, foras coenare, licebit, alia oblectamenta laborum quaerere. Accidit uero aliquando, ut, dum his intenti absunt, negotium superueniat inopinum, sed graue, et quod moram non fert. Obtingit interdum improuisa calamitas, quam auertere potuisset minister, si praesens fuisset. Numquid obligabitur propterea? Non magis profecto, quam is, qui, dum ludum licitum exercet, alteri forte damnum dat. *L. 15 et 52 §. ult. ad L. Aquil.* Absoluerunt non ita diu ICTi Helmstadienses ministrum, quo in suburbano suo morante, periculosus in ciuitate tumultus exarserat, quem ille forsan praesens sedauisset. Pessime contra Vitellius Caesar apud *Tacitum bistor. lib. 3 cap. 38* Iunium Blaesum occidit, quod is, aegro graui corporis morbo principe, epulatus esset, laetumque diem egisset.

XXXIII

Saepe etiam in commendando leuissimam culpam committunt ministri, et suffragio suo eiusmodi personas ad honores et munera uacantia euehunt, quae uel impares oneri imposito negotia publica negligunt, aut improbi et flagitiosi eadem corrumpunt. Hic non potest non aliquid imputari commendanti, quem, si sedulo omnia inuestigasset, inertia forte ista aut malitia commendati non fugisset. An obligabitur ergo? Equidem

dem iura nostra pupillo actionem etiam contra illum largiuntur, qui tutorem inidoneum nominavit tantum, *L. 2 de Fideiussoribus et nominatoribus*. Verum hoc de illis intelligendum est, qui uel dolose, uel per supinam incuriam hominem indignum uel inhabilem nominauerunt. Atque hos peccare utique, et puniri posse, infra ostendemus. Sed si quis uirum, qui communiter pro idoneo reputatur, deceptus ipse bona eiusdem fama nominet et commendet, nec accuratius in illius mores et uitam inquirat, hunc excusandum esse putamus, arg. *L. 7 §. ult. et L. 8 de Dolo malo, L. 12 §. 12 Mandati*. Atque sic Icti Helmstadienses mense ianuario anni cld lō CC XIX responderunt: Es hat Armandus dadurch, daß er die in Hippolyti a Lapide Schriften enthaltene ungebührliche und gefährliche Dinge nicht besser untersucht und in Betrachtung gezogen, sondern diesen Mann, derselben und der daher zu befürchtenden Offension des Kayserlichen Hofes ungeachtet, zu der Bolognesischen Profession befördert, zwar wider die Regulen der Klugheit gehandelt, jedoch eben keine sonderliche Straffe verdienet.

XXXIIII

Sola interdum opulentia, quis credat? pro crimine obiicitur, non apud barbaros tantum et Turcas, sed et Christianos, inter quos tamen hoc interest, quod barbari principes ministros suos locupletes, nullo colore quaesito, saltem, ut gaza eorum potiantur, peruertant, Christiani hoc sub specie iusti faciant. Scilicet plerumque crimen peculatus, uel de residuis, uel repetundarum obiicitur ministro diuiti. Et, si hic delicta negat,

F

atque,

atque, ut eorum legitime conuincatur, poscit, opes ipsae, utut iuste quaesitae, pro argumento sunt. Negant aduersarii, reum, si sancte et integre in munere uersatus esset, tantam earum uim colligere potuisse. Ex hac itaque suspicione damnatur innocens saepe, et, si non uita, honore tamen et bonis spoliatur. Improbe profecto et contra leges, quae suspensionem huiusmodi aperte damnant. Apparet hoc ex *L. 10 C. Arbitrium tutelae*, in qua Caesares: *Debitum*, aiunt, *aliis indiciis comprobari oportet. Nam quod neque ipse, neque uxor eius quidquam ante administrationem habuerunt, non idoneum huius continet indicium. Nec enim pauperibus industria uel augmentum patrimonii, quod laboribus et multis casibus quaeritur, interdendum est.* Quodsi haec in priuato uera sunt, quanto rectius ad ministros, quibus mille ad acquirendas opes uiae legitime patent, trahentur? Memorabile eius rei in uita Caroli VI, Galliarum regis, exemplum occurrit, quod uerbis *Ioannis de Bussieres lib. XII Historiae Francicae cap. 1* narrabimus. Burgundus totius auctoritatis compos euehi supra omnium capita, regnum ad arbitrium moderari, suos promouere atque Aurelianenses studiose deprimere. Potestas illico in tribunos aerarii uersa, seu ad plebem arctius demerendam, cui eiusmodi homines semper odio sunt, siue eorum spoliis ut priuatam opulentiam publico plausu conficeret. Ergo in eos ob pecuniam regiam instituta quaestio, et ipse Burgundus sibi Ioannem Montacutum damnandum seposuit. Is primarius aerarii praefectus, merito suo et gratia Aurelianensis ad id munus euectus, opes ingentes, plurimam auctoritatem et potentes affinitates parauerat. De peculatu apud iudices postulatus,

tus, quod optimatum uel innocentium crimen est, et postremum fortunae os uertentis telum, rem urgente Burgundo, damnatus est et capite palam truncatus. Probus quisque ob supplicium innocentis ingemuit, et paratas opes accusauit, quae dominum perderent, atque hospiti suo crearent perniciem. Triennio post ueritas patuit, et laudandi Coelestini patres, qui beneficii memores, quo Montacutus ipsis coenobium Marcussii condiderat, lite instaurata et deflagrante inuidia damnati memoriam absolui curarunt. Restitutus in peremti bona Carolus filius, et cadaueri exsequiae honorifice praestitae. Haec *Bussieres*, cui tamen in eo contradicit *Ménagius dans l'histoire de Sablé pag. 271*, et in *tomo 3 Ménagianorum pag. 16*, quod Montacuti memoriam absolutam fuisse negat.

XXXV

Innocenti saepe ministro flagitia ab uxore et familia commissa obiciuntur, interdum recte, si scilicet magna ipsius culpa subest, qua de re infra dicemus, aliquando inique, quum talia sunt familiae peccata, in quibus nihil potest ministro imputari. In his seruari debebant iura, quae maritum pro uxore et patrem pro filio conueniri uerant. Vide *titulos C. Ne uxor pro marito et Ne filius pro patre*. Sic Icti Helmstadiensis mense iunio anni cldl CCXIII absoluerunt maritum, cuius uxor et familia res quasdam custodiae eius a principe commissas, ipso inscio et prohibere non ualente, abstulerant: Diweil der Verdacht, welchen der Fiscal auf den Gefangenen zu bringen suchet, als ob er etwas davon wider seinen geleisteten Eyd wegführen lassen

sen und veräußert, bey genauerer Betrachtung der von den Zeugen ausgesagten Umstände von ihm hinweg, und auf seine Liebste, Schwieger-Mutter und Kinder, deren facta er freylich nicht verantworten kan, fällt; So haben wir vor billig geachtet, daß der gefangene Hoff-Rath Wilhelmus seiner Gefängniß ent schlagen und mit fernerer Straffe verschonet werde.

XXXVI

Innocentiam suam probare nequit minister, nisi documenta literaria, ex quibus rationes gestae administrationis reddi possint, ei relinquuntur. Peccant igitur, qui reis ea adimunt, et copiam illorum poscentibus facere recusant. Dubitari plane poterat, liceatne fisco documenta ministris accusatis auferre. Certe *Lex 2 ff. 2 de iure fisci* fisco, si de capitali causa agatur, documenta edenda esse negat. Verum hanc legem, quam delinquentibus plus iusto fauere *Gorbofredus ad eam lit. e.* agnoscit, usus iam diu obliterauit, atque hodie iudicis officium est secundum *Brunnemannum in Processu inquisitionis cap. 8 memb. 2 n. 7*, ut in iis delictis, quae per scripturam aliquo modo saltem probari possunt, statim, capto reo, aedes eius obsignet, et documenta peruestiget. Hoc ergo qui facit princeps, non peccat. Peccat uero, si copiam illorum ministro accusato facere recuset, atque sic remedia innocentiae demonstrandae subtrahat. Et debent Icti, quibus decisio huiusmodi litis committitur, principem ante omnia ad editionem condemnare, arg. *L. 7 C. de Edendo*. Atque ita responderunt Icti Helmstädienses mense maio anni clb lb CCXIV: Es muß

muß der C. dem Officier die Originalien, oder doch wenigstens die vidimirte Abschriften der abgenommenen Rechnungen und Brieffschaften wieder antworten.

XXXVII

Sed pereunt interdum casu documenta illa, quibus ad se tuendum indiget minister. Sibi hoc accidisse, questus est Fuquetus, notissimus Ludouici XIII, Galliarum Regis, minister, in eleganti, quod sub titulo *Fuquetus in uinculis ad Dei matrem circumfertur*, carmine:

*Quaesturae uix gesta meae mandata libellis,
Scriniaque et pluteos, digestaque computa fisci,
Vnde laboranti possem succurrere caussae,
Accipio periisse mihi; casuue, doloue,
Nosse tuum est, Virgo, puris quae cuncta pererras
Luminibus, caecique uides penetralia cordis.
His ramen insistit rigidus quaesitor, et ansam
Hinc rapit, unde reus capitali crimine dicar.*

Sed quid iuris hic erit? Rectene damnabitur minister, cui instrumenta defensionis sine dolo et culpa eius interciderunt, et cui alia probandae innocentiae argumenta desunt? Equidem, si L. 1, 4, 7, 13 C. de Fide instrumentorum et amissione eorum spectes, non sufficit, amissionem documentorum fortuitam probari, sed necesse est, aliis euidentibus argumentis ueritatem eorum, quae perdita instrumenta continuisse dicuntur, ostendere. Verum istae leges de ciuilibus tantum et pecuniariis caussis, non etiam de criminalibus agunt. In his quippe tantus est defensionis fauor, ut propter

eum a receptis iuribus et regulis saepe recedatur. *L. 4 §. 2 de Requirendis uel absentibus L. 18 §. 9 de Quaestionibus.* Igitur ut et hic recedatur, nec innocens, qui instrumenta defensionis sine culpa sua perdidit, damnetur, sed in dubio potius absoluator, aequum est.

XXXVIII

Silentium nonnunquam ministris principum pro crimine obiicitur, quod scilicet imminencia reipublicae pericula, quae praeuidere potuissent, non praedixerunt, et delata ad se coniurationum et seditionum indicia reticuerunt. Verum hic aliquando subesse crimen, non inficiamur. Nam si priuati peccant, qui insidiarum principi uel imperio structarum conscii silent, *L. 5 §. 6 C. Ad L. Iuliam maiestatis, Nouella 117 c. 8 §. 1* quanto magis ministri? Excusandi tamen sunt tunc, quum idoneis ad probandum argumentis destituti suspensiones suas uel denunciata sibi a uili auctore crimina indicare ausi non fuerunt. Quum enim illi, qui perduellionis reum defert, nec conuincere tamen potest, discrimen maximum impendeat, *L. 3 C. Ad L. Iul. maiestatis*, circumspectus profecto in hoc delicto indicando delator esse debet. Optime Hieronymus Gigas, Iureconsultus Mediolanensis, de *Crimine laesae maiestatis*: *Qui consilium, inquit, aduersus maiestatem principis initum cognouerunt, nec probare possunt, non tenentur reuelare, et, qui tales condemnant, non sunt iudices, sed carnifices.* Inter cetera itaque Alexandri M. tyrannica facta Philotae quoque supplicium numerari debet. Ad hunc, amicorum regis fere principem, Cebalinus quidam, uilis homo, indicium initae in uitam regis coniurationis defert, aucto-

auctoremque indicii fratrem suum, exoletum, qui id ex amatore suo acceperat, nominat. Philotas tam leui auctori nihil credit, ueritus, ne iurgium inter amatorem et exoletum, non sine risu aliorum, deferret, et multis amicorum regis periculi causa esset. Igitur regi rem non aperit. Hic uero, postquam eam aliunde resciuisset, ex silentio Philotae, ipsum quoque conspiracy socium fuisse, suspicatur, miserumque, etsi a nullo consociorum nominatum, dirissimis tormentis ad confessionem delicti, de quo nunquam forte cogitarat, adigit et crudeliter necat, quemadmodum *Curtius lib. 6 cap. 7 et 10* narrat. Rectius Icti Helmstadiensis mense ianuario anni c^lo c^lo CCXIX ministrum absoluerunt, cui pro crimine obiiciebatur, quod principem de seditione aduersus illum deinde excitata non praemonuisset, quum tamen, se illam praevuidisse, in literis ad familiares scripsisset. Facile enim apparebat, non ueram hanc praevidentiam, sed coniecturam meram et suspicionem incertam fuisse, quam principi aperire, prudens minister merito erubescit: Es ist das Voraussehen des Bürgerlichen Tumults, dessen Armandus in seinem Schreiben Meldung gethan, von keiner unfehlbaren Prophezeiung, sondern nur der gewöhnlichen Redens-Art nach von einer Vermuthung zu verstehen, daß also diesen Tumult deutlich vorher zu sagen, und Seine Hochfürstliche Durchlauchtigkeit davor, als vor eine gewisse Sache, zu warnen nicht wohl möglich gewesen.

XXXVIII

An ministro munera ab iis, quos suffragio uel opera sua in aula principis sui iuuat, accipere uel stipulari liceat, non pauci sunt, qui dubitant, quibus tamen iam diu satisfecit *Tabor de Suffragatorum opera et remuneratione*. Nec rationem uidemus, ob quam *Lex un. C. de Suffragio*, quae ministris aliquid pro suffragio accipere permittit, ualere non debeat. Excipit tamen recte *Tabor dicto lib. pericop. 3 §. 11, 12, 13, 14*, intercessionem pro obtinendo munere publico, pro remittenda perduellionis poena et pro refricanda lite rescripto principis decisa. Addi debuissent omnia negotia, ad quae gerenda minister ui officii sui obligatur. Pro his enim aliquid accipere, repetundarum crimen foret, *L. 6 §. 2 de L. Iulia repetundarum*. Extra has causas uetitum ministro non, est pro praestanda, quam alias non debebat, opera munusculum suscipere, ut, si cui praemium uel priuilegia a principe sit impetrandum, si quis exilio punitus restitutionem a principe per ministrum petat, cetera. Itaque Icti Helmstadienses mense ianuario anni cdo 15 CC XIX responderunt, non peccare ministrum, qui oblata sibi a creditoribus principis sui munuscula accipit, et effecturum se apud principem, ut solutionem debitorum consequantur, promittit: Es scheint die Annehmung einiger Discretionen von Fürstlichen Creditoribus mit dem Versprechen, solchen zu ihrer Zahlung zu verhelffen, ein vergönnter Contractus suffragii zu seyn, gestalt die Rechte fürnehmlich nur in Iustiz-Sachen, und bey Befoderungen zu öffentlichen Aemtern Geld zu nehmen verbieten.

XL

Magis autem dubitari potest, an minister ab extero principe, cum quo sui principis nomine negotium gessit, dona oblata impune accipiat. Equidem non negamus, optime facere, et singularem integritatis laudem reportare ministros, qui magno eiusmodi munuscula animo recusant. Adhuc celebratur Fabricii Romani gloria, quod pauperrimus oblata a Pyrrho rege hospitalia munera recusavit, tametsi Pyrrhus se nihil ab eo desiderare diceret, nisi, quod a viro optimo patriaeque amantissimo fieri posset. Vide *Liuii lib. 13 cap. 18 sqq.* Nec minor est Ieannini Praesidis laus, qui ab Henrico IV, Galliarum rege ad Belgas missus oblatum sibi a Belgis post finita feliciter negotia munus tamdiu respu- it, donec a rege suo id accipere iuberetur, et in quem ex legationibus reducem rex ipse magnas pecunias con- ferebat, quod sciret, uirum abstinentissimum non ditio- rem, ut alii, sed aere alieno pressum reuerti. Vide *elogi- um libro, qui les Negotiations de Monsieur le President Jeon- nin* inscribitur, praefixum. Ast heroicarum persona- rum harum facta non legem dant, sed exemplum, quod imitari pauci possunt. Nec peccant, qui fecus faciunt, et dona, perfecto negotio, oblata non respuunt, quippe quod facere lex nulla iubet. Duriores ergo iusto fue- runt Athenienses apud *Plutarchum in Pelopida*, qui Ti- magoram, suum ad Persarum regem oratorem, ob rela- ta a rege amplissima munera necarunt, qui tamen antea Epicrati lixae, munera a rege reportanti, et publice, ut imposterum non primores ciuitatis, sed tennes ex plebe homines quotannis ad regem ablegarentur donis regiis patrimonium aucturi, suadenti arriserant.

Aequius
longe

G

longe Ferdinandus I, Romanorum rex, Ioannem Langum ex Polonica legatione redeuntem magnisque muneribus ornatum non solum suspectum non habuit, sed ad secretissima consilia admisit, secundum *Adamum in uitis Germanorum Iureconsultorum et Politicorum pag. 37.* Atque sic etiam responderunt Icti Helmstadienses mense ianuario anni cdo 16 CC XIX: Es ist Armando nicht verbothen gewesen, das ihm freywillig von dem Epirotischem Hofe angebothene Geschenke und gethane Auslösung anzunehmen, da zumahl bey Fürstlichen Höfen gebräuchlich, auswärtige Ministros, mit denen man ihrer hohen Herrschafft wegen wichtige Angelegenheiten abgehandelt, und zu Stande gebracht, bey deren Abzug zu beschenken.

XLI

Potest tamen princeps uel respublica ministris suis per legem adimere potestatem munera ab exteris principibus accipiendi. Sic Belgae legatos suos iureiurando obstringunt ad dona a principe, ad quem mittuntur, oblata recusanda. Notabile ergo est apud *Wicquesfortium de l' Ambassadeur lib. 2 sect. 18 p. 222* legatorum ad Monasteriensem episcopum missorum exemplum, qui esurire, quam ad coenam ab episcopo inuitati uenire, uel cibis ab episcopo ad se missis uesci, maluerunt. Similis est apud Argentoratenses lex, et memorabilis Blancae Mariae uxoris Maximiliani I epistola, qua senatum Argentoratensem precatur, ut Ottoni Sturmio, quem senatus ad Augustam ablegauerat, ueniam indulgerent, corollam ab Augusta donatam recipiendi. Exhibet illam *Wenckerus in Collectis archiui et cancellariae iuribus* pag.

pag. 131. Sed infra alii casus, quibus ministro munera ab exteris principibus capere non licet, exponuntur.

XLII

Aliquando amicitia supremi ministri pro crimine est, dum nempe inferiores innocentissime propterea puniuntur, quod supremo illi, cuius forte improbitas detegitur, olim adhaeserunt, uel munera sua et dignitates per eum adepti sunt. Experiuntur hi scilicet fatum arborum minorum, quas ruina maioris uicinae simul in terram trahit. Immerito profecto, si ipsi in societatem prauorum, quae supremus iste minister agitauit, consiliorum non uenerunt. Et tamen, si historias consulis, frequentia inuenies huius rei exempla. Sic Tiberius, Seiano deiecto, adseclas eius et familiares acerrime persecutus est, quorum egregia, et quae hodie in simili calamitate adhiberi posset, defensio exstat apud *Tacitum Annali 6 cap. 8.* Similis prorsus pro Philotae amicis apud *Curtium lib. 7 cap. 1* reperitur. Quae duae orationes sic conueniunt, ut, Tacitum praecipua suae membra ex Curtio in suum librum transtulisse, *Lipsius in notis ad locum illum Taciti* putet, Io. Isaacus Pontanus contra in *Sylloge epistolarum ab Ant. Matthaeo editarum p. 108 sqq.* Curtium sua ex Tacito mutuatum credat. Verosimilior autem est Lipsii coniectura, et credibile, Curtium antiquiorem Tacito, nempe rhetorem illum fuisse, quem *Suetonius* inter *claros rhetores* memorat.

XLIII

Ipsa in rebus gerendis et negotiis dominicis administrandis felicitas quibusdam ministris exitio uel saltem

damno fuit. Multi scilicet principes gloriae plus iusto cupidi sibi omnem uindicant, et ministros suos in societatem eius uenire, indigne ferunt. Prudens itaque minister praeceptum istud Agrippae apud *Dionem lib. 49* solícite seruabit, ut, quae in administratione rerum obueniunt, difficultates subeat ipse et amoliat, gloriam uero perfecti operis principi relinquat. Fecit hoc Ioabus apud *Samuelem lib. 2 cap. 11 §. 27, 28*, qui a Dauide rege ad expugnandam Rabbam missus, obsidione fere ad finem perducta, regem suum de hoc certiores fecit: Oppugnauimus, inquit, Rabbam, et intercepimus ciuitati aquam. Congrega igitur exercitum, castra metare contra oppidum, ut capias illud, ne, si ego id cepero, gloria mihi adquiratur. Qui contra fecerunt, atque, ut ipsi nominis celebritatem consequerentur, res magnas et gloriosas soli sine principe gesserunt, offensam eius incurrerunt, et hunc laborum et periculorum suorum fructum praecipuum tulerunt, ut dignitatibus spoliati saepe in uitae discrimen adducerentur. Narrat *Brantome dans les memoires des hommes illustres tom. 1 pag. 173*, Franciscum I, Galliarum regem, accepto de Pavia a legato suo Lautreccio expugnata nuncio, excanduisse, quod ipse, se frustra circa oppidi huius moenia per tres olim menses haesisse recordaretur, atque nunc opus, a se tanto rege nequidquam tentatum, ministro suo feliciter cessisse, non sine inuidia cerneret. Dauidi, quum inter Sauli satellites ageret, carmen illud, quo plures, quam ipse rex, hostes trucidasse celebrabatur, iram regis, exilium et plurima uitae discrimina confluxit, quemadmodum ex *Samuelis lib. 1 cap. 18 §. 6 et 7* constat. L. Papius Cursor dictator Romanus, quae potestas regiam maiestatem

statem aequabat, parum abfuit, quin magistrum equitum, Q. Fabium Maximum Rullianum, qui, se absente, Samnites magno proelio uicerat, ultimo supplicio adficeret, spretum quidem ab illo imperium suum praetens, sed re uera, ut inuidiam expleret, et subtractam ambitioni suae uictoriam et gloriam ulcisceretur. Vide *Liuium lib. 8 cap. 31* et *Valerium Maximum lib. 2 cap. 7 n. 8.*

XLIHII

Multos quoque ministros populi amor, et, quam recte faciendo adquisiuerant, auctoritas perdidit, dum princeps suspiciosus perniciem sibi uel detrimentum inde metuit, atque innocentem et fidum sibi uirum aut e medio tollit, aut dignitatibus tamen exuit. Quod quam sit iniquum, intelligunt omnes. Etsi enim istiusmodi minister fauore populi ad statum reipublicae peruertendum abuti possit, incertae tamen suspiciones ad damnandum illum non sufficiunt. Interim perierunt hoc modo quam plurimi, quorum omnium memoriam hic renouare, nimis operosum foret. Solus Tiberius Caesar aliquot nobis exempla suppeditare poterit. Multos ille claros bonosque uiros ob id solum, quod a populo diligerentur et fama atque auctoritate florerent, structis uariis criminibus circumuentos ad mortem adexit. Vide *Taciti Annalem I cap. 12.* Ipsum adeo Germanicum, quem adoptarat tamen, ministro Pisonis usus occidit, quod fauorem exercitus et populi in eum suspectum haberet. Vide *Taciti Annalem II.* Nolumus alia exempla addere.

XLV

Id saltem memorabimus, accidisse saepe, ut minister, qui antea de seditione mouenda aut facinore contra principem suum non cogitarat, animaduersis, quae sibi innocenti parentur, insidiis excitetur demum ad arma, quibus se tueatur, capienda, atque sic malum, quod antea falso timebatur, vere inferat. Galbam imperatorem tamdiu in fide erga Neronem perstitisse, donec mandata huius de nece sua ad procuratores clam missa deprehenderet; atque tunc demum arma sumsisse, *Suetonius in Galba cap. 9* auctor est. Narsetem, piissimum optimumque uirum et res principis sui, Iustini II Imperatoris, egregie administrantem, ipse demum imperator uana suspicione sua et abrogata propter hanc dignitate compulit, ut peiora metuens Constantinopolin redire detrectaret, Longobardosque in commissam curae suae Italiam pertraheret, armis eorum se contra uim defensurus. Quae a *Paullo Diacono* copiosius narrantur. Nec iniuste faciunt hi ministri, quum tueri se aduersus uim iniustam unicuique sit permissum.

XLVI

Vidimus ministros, qui ob causam, friuolam licet et iniustam, aliquam tamen, in offensionem principis poenasque incurrunt. Dicendum quoque est paucis de his, qui ob nullam prorsus causam gratia principis dignitatibusque suis excidunt. Turcarum quidem ceterarumque gentium barbararum tanta est erga reges suos ueneratio, ut, quamuis illi saepius ministros suos et familiares sine omni causa mulcta, exilio, morte puniant,

ant, iure tamen hoc fecisse censeantur. Referunt peregrinatores Persici, et ex his *Happelius in Cosmographia vol. 2 lib. 2 cap. 1*, Persarum regem, cui Cha-Sepi I nomen fuit, aliquando septem procures aulae interfecisse, et capita atque cadauera occisorum in forum proiicisse, nec quenquam tantae crudelitatis causam sciuisse, populum tamen capita proculcasse et inuicem dixisse: en capita nebulonum, qui iussibus regis obsequium detrectarunt. Verum Christiani principes, quamuis plerique ad factorum suorum rationem ciuibus reddendam sese obligatos non putent, ut tamen saeuitiae et tyrannidis speciem euitent, si quem ministrum ultimo supplicio uel alia grauiore poena afficiunt, causas damnationis, siue ueras siue falsas, publicare solent. At quando aliquem dignitatibus exuunt uel aula exire iubent, hoc se nulla etiam de causa posse, atque uoluntatem suam pro ratione stare debere, sunt persuasi. Ergo saepe uideas ministros probos, fidos, bene meritos, sed, quia principi displicuerant, culmine suo deiectos, ob eandem causam, ob quam *Martialis* se Sabidium odio habere *in lib. 1 epigr. 33* scribit:

*Non amo te, Sabidi, nec possum dicere, quare,
Hoc tantum possum dicere, non amo te.*

Licere autem principi, ministrum sine causa etiam dimittere et munere priuare, cum *Mylero* ab *Ehrenbach in Hyparchologia cap. 4 n. 6* affirmamus. Princeps quippe, dum ministrum sibi adsciscit, non in perpetuum se illi obligat, sed libertatem retinet, opera eius, si displicuerit, etiam non utendi. Et iniquum profecto foret, principi id non licere, quod ministro licet, cui resigna-

re

re officium permittunt. Ita certe *Charles Loyseau du droit des offices lib. 5 cap. 3 n. 7.* Quisquis, ait, ministro resignandi officii facultatem denegat, ad uincula eum et triremes quasi condemnat, seruumque facit, aut saltem adscriptitium. Non desunt tamen, qui principi potestatem istam adimunt, auctores, quos memorat et sequitur *Cauallos in Speculo opinionum communium contra communes quaest. 425 n. 25.* Ast ad horum argumenta alio tempore iam responsum est.

XLVII

Progressendum nunc est ad alteram scripti huius partem, et in secundo capite de ueris ministrorum delictis agendum.

MINISTRI DELINQVENTIS

CAPVT II

DE

VERIS DELICTIS MINISTRORVM
PRINCIPIS.

SVMMA CAPITA.

1. In tractatione hac ordo certus non seruabitur. 2. Delicta ministrorum communia etiam sunt punienda. *Causa*, propter quam Lex 4 C. Th. de Accusat. in Codice Iustiniano fuerit omissa, inuestigatur. 3. Minister ante susceptum munus tanquam suspectus remouetur, si olim in simili munere male uersatus est, 4. uel munus suum pecunia redemit, 5. aut aliis improbis artibus obtinuit, 6. quae impunitae quidem plerumque, sed tamen illicitae sunt. 7. Laudabile aliquando et necessarium est, pecunia munus publicum redimere. 8. Imperitia crimen est, 9. quod saepe in literatissimum cadit. 10. Exsuperantia uirtutis aliquando crimen est, ut iniustitiae, 11. misericordiae et lenitatis, 12. fortitudinis, 13. religionis, 14. magnanimitatis, 15. magnificentiae, 16. parsimoniae, 17. fidei in augendo fisco, 18. uel procurandis principi aliis commodis per uias iniustas. Discutitur, quousque legatis astu uti, 19. et ministros principis, ad quem missi sunt, corrumpere liceat. 20. Iniusta principis mandata exsequi uel delinquenti adsistere, crimen est. 21. Peccat etiam, qui metu adactus hoc facit, non tamen punitur. 22. Coecum in mandatis ad literam exsequendis obsequium, 23. uel nascita illorum interpretatio. 24. Nimia in uero dicendo erga principem irreuerentia. 25. Liberius de eius uitiis erga alios iudicium. 26. In timiditate poena mortis non iniuste statuitur. 27. Ministrorum per timiditatem peccantium exempla. 28. Duo sunt potissimi fontes delictorum, quae a ministris committantur, auaritia et ambitio. Auaritia radix malorum est. 29. Munera minister accipere non debet, ut officium suum faciat, uel non faciat. 30. Casus, quibus ab extero principe dona accipere uetitum est. 31. Ex eadem causa bis accipere minister non debet, 32. nec ex aliorum facinoribus lucrum capere, 33. nec praedia et res principis cum reipublicae damno per donationes, emtiones, conductiones et alios contractus uel aperte, 34. uel per suppositas personas adquirere, 35. nec debita principis per cessiones in se transferre, 36. nec immodicas sportulas exigere, 37. nec munera publica uendere. 38. Potest tamen minister negotiationem officiorum insu principis sui exercere. 39. Peccat minister, pecuniam publicam in suos usus conuertens,

et si animum et facultatem restituendi habeat. 40. Ambitio aliquando bona est, nisi modum excedat, quod fit. 41. virtutes suas iuctando et merita exprobrando, 42. turbas ad gloriam inde aucupandam excitando hostemque fouendo, 43. principem voluptatibus immergendo, 44. uel uiolenter ab administratione rerum arcendo, 45. pares cum principe honores usurpando, 46. ceteros ministros sibi obnoxios reddendo, 47. liberos suos et propinquos ad immeritis dignitates euehendo, 48. alios fidos ministros amouendo, 49. plura collegarum suffragia et meliora consilia negligendo, 50. id quod praefidi collegii etiam cum ratione dissentienti non licet, 51. dignitates ab exteris principibus suscipiendo, 52. ciues superbe et iniuriose tractando. 53. Voluptatum intemptius usus crimen est. 54. Leni morbo implicitus minister omnem officii curam deponere non debet. 55. Peccat, qui principem fratribus uel propinquis, 56. uel coniungi insensum reddit, 57. uel lenocinio corrumpit. 58. Peccat, qui honorum publicorum alienationem sine necessitate suadet, 59. aut ea infra uerum pretium uendit. 60. Imprudens et imperitum consilium in ministro crimen est, 61. ut si exactionem homagii omittere uel differre suadeat, 62. uel perniciose non dissuadeat. 63. Assentationis crimen, 64. quod committunt ii, quorum consilio et ope ordines prouinciales iuribus suis et auctoritate exiuntur, 65. et qui futurum regni successorem nimio studio sectantur, 66. qui impediunt, ne princeps calamitates publicas et uerum rerum statum resciscat. 67. Peccat minister, qui alii mandata principis praetextenti facile credit, 68. uel iussa principis et officium suum iussis ministri praepotentis aut cuiusdam ex familia principis postponit. 69. Adfectus priuati in administratione officiorum publicorum exulare debent. 70. Peccant, qui potestate sua ad uindictam de inimicis sumendam abutuntur, 71. et qui, ut aduersariis et aemulis noceant, negotia domini iis commissa perire sinunt. 72. Amicitia cum inimicis uel suspectis principi crimen est. 73. Non debet minister secreta principis familiaribus suis uel domesticis aperire, 74. nec amicis suis delinquentibus effugium praebere, 75. nec uxori et familiae nimium indulgere, 76. nec manus suam sine iusta causa deponere, 77. nec eius administrationem inuito principe retinere. 78. Conclusio.

I

Vera ministrorum principis delicta consideraturi, constitueramus ab initio, duplicem eorum ordinem facere, atque primum illa, quae ex dolo proficiuntur, deinde ea, quae per culpam committuntur, explicare. Sed deinde animaduertimus, difficile futurum, dolum a culpa semper distinguere, quum idem crimen aliquando ex dolo, aliquando ex culpa oriatur,

riatur, ac saepe incertum sit, dicere, quo animo deliquerit minister. Omissa igitur, quam decreueramus, methodo, crimina ministrorum eo ordine, quo meditantibus nobis occurrent, et styli acumen subibunt, proponemus.

II

Poteramus equidem et illud discrimen, quod Arrius Menander *L. 2 pr. de Re militari* inter delicta militum facit, huc trahere, atque crimina ministrorum principis propria, quae nempe ut ministri admittunt, distinguere a communibus cum ceteris. At institutum nostrum non est, communia haec operose explicare, quum nihil fere in illis singulare occurrat. Id saltem monemus, expedire reipublicae et principi, ut aulae, etiam quod ad flagitia communia, perpurgentur, atque ministri licet uulgariter peccantes coerceantur. Nam, quemadmodum recte Moecenas apud *Dionem lib. 52* Caesarem monet, principi adscribitur, quicquid amici recte uel sequius agunt, talemque eum cuncti censent, qualia eos facta exercere permittit. Nec, ut Damasi Pontificis uerbis ex *can. 8 XXIII q. 3* utamur, caret scrupulo *societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obuiare*. Egregie igitur Theodahadus rex apud *Cassiodorum Variarum lib. 10 cap. 5*: *A domesticis, inquit, inchoare uolumus disciplinam, ut reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscimur excedendi licentiam non praebere*; et Cicero in *ep. 2 ad Q. fratrem*, Asiae proconsulem: *Sint haec, ait, fundamenta dignitatis tuae, tua primum integritas et continentia; deinde omnium, qui tecum sunt, pudor*. Quum uero secundum *Tacitum in uita Agricolae cap. 19* non minus arduum principi sit, domum suam coercere, quam prouinciam regere, itaque obfirmato cum aduersus amo-

rem suorum et intempestiuam misericordiam animo esse oportet. Decet imitari Constantinum M. qui potestatem accusandi ministros suos peccantes cuius ex populo facit, atque, poenam se illis inflicturn, accusatoribus uero praemia distributurn, addito solemni iureiurando, *ita mihi summa diuinitas semper propitia sit, et me incolumem praestet, ut cupio, felicissima et florente republica*, pollicetur in *L. 4 C. Theod. de Accusationibus*. Quam legem in Iustiniano Codice omisit Tribonianus, forte, quod minus illam sibi collegisque suis proficuum existimaret. Nam, quod *Gothofredus in Comment. ad b. l.* temporariam eam atque propterea omissam fuisse, putat, hoc quidem nobis non satisfacit.

III

Sed satis de communibus ministrorum principis delictis. Agemus iam de propriis. Quemadmodum uero multa sunt, in quibus a tutore et curatore ad ministrum principis et reipublicae ducere argumentum licet, ita et in delictis hoc usu uenit. Quum ergo secundum *§. 5 l. de suspectis tutoribus* tutor, et antequam incipiat tutelam gerere, quasi suspectus remoueri possit, minister quoque aliquando et ante susceptam administrationem iuste remouebitur. Rem exemplis illustrabimus. In *L. 3 §. 8 de suspectis tutoribus* tutor tanquam suspectus remoueri iubetur, qui in alia tutela male uersatus est, uel secundum *§. 12. l. de suspectis tutoribus*, qui moribus talis est, ut suspectus sit. Idem in ministro principis locum habebit. Fac, quempiam ad munus in aula suscipiendum uocatum esse, atque codicillos principis super ea re iam accepisse, sed principem deinde, olim illum alii principi seruiisse, sed male, et perfide rem gessis-

gessisse, certiore reddi. Recte tunc reuocabitur facta oblatio, quum uerosimile sit, semel malum semper malum futurum, c. 8 de Reg. iuris in 6, et ex transacta uita discatur, quid de subsequenti praesumi debeat c. 6 et 9 X. de Praesumptionibus. Adde Menochium lib. 5 praesumpt. 32, et Strykium de Vita anteacta cap. 3.

IIII

Porro sicut tutor tanquam suspectus remouetur et punitur, qui data pecunia ministerium tutelae adquisiuit uel redemit, §. 10 I. L. 3. §. 15. D. de suspectis tut. L. 1 §. 7. de Offic. praef. urbi, ita et minister, qui corruptis suffragiis muneri irrepsit, poenam meretur. Leges quippe nostrae emtionem officiorum seuerissime interdunt in Nouella 8 et L. ult. C. Ad L. Iuliam repetundarum, et recte quidem. Nam, ut Cicero lib. 2 in Verrum n. 138 eleganter ait, solent ii, qui per largitionem magistratus adepti sunt, dare operam, ut ita potestatem gerant, ut illam lacunam rei familiaris expleant. Scite etiam Alexander Seuerus apud Lampridium cap. 49: Necessesse est, inquit, ut, qui emit, uendat. Ego non patiar mercatores potestatum, quos, si patiar, damnare non possim. Erubescio enim punire illum hominem, qui emit et uendit.

V

Non tamen hi solum ministri, qui dignitates suas mercantur, sed et ii, qui aliis improbis artibus, ui, fraude, furto ad eas perueniunt, puniendi sunt, ut recte monet Mylerus ab Ebrenbach in Hyparchologia cap. 7 §. 2. Quorum artium nullibi frequentiora exempla, quam in uetere Romana republica, occurrunt, in qua secundum Varronem lib. 4 de Vita populi Romani, memoratum a

Nonio in Casus pro casu, tanta plerisque inuaserat cupiditas honorum, ut uel coelum ruere, dummodo magistratus adipiscerentur, exoptarent. Sic Lucullus apud *Plutarchum in Lucullo* Ciliciam prouinciam et bellum Mithridaticum non obtinuisset profecto, nisi in Praeciae meretriculae gratiam sese insinuasset, atque per hanc Cethegum, qui Romae tunc omnia poterat, sibi conciliasset. Tacemus alia exempla, quorum annales Romani pleni sunt. Ne tamen quis putet, istis artibus saltem in republica locum fuisse. In monarchiis nostris eadem pestis grassatur, et honores per feminas, fraudes, uilia obsequia, assentationes, obtinentur. Testatur hoc inter alios *Baylius in Dictionario art. Cethegus. lit. C.* Nonne, inquit, res misera est et deploranda, uirum illustrem atque dignissimum imperio, et qui illud deinde summa cum gloria gessit, non potuisse id adipisci, nisi ad uilis mulierculae adulationem se demisisset? Si quis tunc *Iuuenalis* fuisset, is profecto in peruerso hoc reipublicae statu iuste exclamasset:

*Difficile est satyram non scribere, nam quis iniquae
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se?*

Illud uero perluctuosum est, eadem haec postea in toto terrarum orbe millies milliesque contigisse. Via haec ad honores grassandi patuit semper, admisitque dignos pariter cum indignis. Mirabundi saepe conspiciamus hominem citato gradu ad eminentissimas dignitates non tam euntem, quam uolantem. Quaerimus attoniti, qua uirtute, quibus meritis subnixus tantopere super capita aliorum euehatur. Res tota tandem eo redit, patrocini-um eius suscepisse feminam praepotentem, quae pudicitiae suae iactura summam auctoritatem sibi comparit et adhuc conseruet. Atque eadem querelae post mille

mille etiam annos, si modo orbis terrarum perdurat, continuabuntur.

VI

Recte haec *Boylus*. Quae autem deinde addit: Priuato, quum confusionem istam tollere nequeat, prudentia permittere potest, iisdem artibus uti; indigna sunt profecto philosopho cordatiore. Munera publica et honores uirtute et meritis obtineri debent. Inhonestum ergo est, ut ea consequaris, ad meretriculae pedes te abiicere, gratiamue eius uili obsequio aucupari. Certe bonum prudentemque uirum hic aditus ad honores non decet. Infandum est, ut bene ait *Pufendorffius de Iure naturae et gentium lib. 2 cap. 4 §. 9*, et detestabile, per malas artes et rationi aduersantia facinora ad famam et honores grassari. Rectius longe *Thuanus lib. 3 histor.* Momorantium, laudatum alias uirum, reprehendit, quod Dianae Pictauiensi, concubinae regiae, auctoritatis et potentiae tuendae causa morem gesserit et prudentiam ad turpe obsequium flexerit, pessimo exemplo summi imperii ad impotentis feminae libidinem prostituti. Non diffitemur tamen, impunita plerumque manere haec flagitia. Obseruat *Beyerus in Delineatione Pandectarum lib. 48 tit. 14*: *Carpzouium* in Practica criminalium nullam ambitus mentionem facere, aliosque criminalium rerum interpretes non nisi theoretica hic tractare. Sed quod idem *Beyerus* existimat, poenas ambitum coercentes ad monarchias non pertinere, in hoc ab illo dissentimus, atque argumenta, quae adfert, facile explodi posse, credimus.

VII

Credimus tamen, aliquando bonum et laudabile esse, munus

munus publicum pecunia redimere, uel obliquis id artibus obtinere. Fac enim, hominem ad illud adspirare, eo prorsus indignum, a quo magna reipublicae calamitas et perniciēs metuenda sit. Finge porro, illum excludi aliter non posse, quam si dignior alius pecunia data istud munus comparet. Non peccabit profecto, qui id fecerit. Quin potius obligatum eum ad pecuniam hanc erogandam existimamus. Nec est, quod dicas, non esse facienda mala, ut inde bona eueniant. Malum quippe per se non est, largiri. Aestimari itaque ex scopo debet. Si ideo largiris, ut aliis prudentibus bonisque uiris anteferaris, et id, quod tuis meritis deest, suppleas, peccas. Si uero per largitiones improbum hominem a reipublicae, quam corrupturus est, administratione arces, laudari debes. Consensisse nobiscum grauissimos iustissimosque uiros et philosophos celeberrimos, duobus exemplis ostendemus. Alterum ex *Plutarchi Themistocle* sumemus. Quum scilicet bellum maximum a Persarum rege Graecis immineret, atque Athenienses de imperatore ad id bellum deligendo consilium inirent, ceteri autem omnes metu perculsi officium hoc detrectarent, unus Epicides, popularis homo et dicendi facultate praeditus, sed luxuriosus et nequam et quaestui pecuniario deditus, candidatum se professus est. Quumque obtenturus honorem suffragiis populi uideretur, Themistocles ueritus, ne accepto imperio rempublicam euerteret, largitionibus eum in petitione dignitatis superauit, optime sic de patria meritus. Alterum exemplum *Suetonius in Caesare cap. 19* suppeditabit: Caesar, inquit, consulatus candidatus, e duobus competitoribus, *Lucio Luceio, Marcoque Bibulo*, *Luceium* sibi adiunxit, pactus, ut is, quoniam inferior gratia esset pecunia-

que

que polleret, numos de suo communi nomine per centurias pronunciaret. Qua cognita re, optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum in summo magistratu, concorde et consensiente collega, auctores Bibulo fuerunt, tantundem pollicendi. Ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem, qui tamen secundum Sallustium in Bello Catilinario nihil largiundo gloriam adeptus est, abnuente, eam largitionem e republica fieri.

VIII

Porro imperitia et ineptia delictum est, quum quis munus consiliarii aut ministri, cui imparem se scit uel scire debebat, ambit aut oblatum suscipit. Vide *L. 9 §. 5 Locati* et *L. 132 de Reg. iuris*. Minister ergo, cuius indignitas deinde apparet, uel statim, antequam administrationem commissi muneris subeat, expelli iterum e statione sua, uel, si subiit iam, damnumque per imperitiam intulit, ad hoc farciendum cogi et poenas impudentiae suae dare debet. Prioris exemplum elegans *Brantomius tomo 2 des Memoires des hommes illustres in uita Annae de Montmorency p. 80* adfert, quod ex Gallico in Latinum sermonem translatus hic inseremus: Prandebamus aliquando cum Hospitalio, Galliae cancellario, cui, sublata mensa, nunciabatur, adesse praesidem et consiliarios recens a rege creatos, qui in possessionem munerum suorum ab illo mitti desiderarent. Intrare ergo eos iubet et aduersus se consistere. Ipse in sella, in qua confederat, remanet, illi frondis instar uento agitatae tremunt. Profertur codex iurium, quem Hospitalius euoluit singulisque legem explicandam proponit, et uarias ex illa quaestiones nectit. Respondent miseri, sed insulse prorsus, timide et titubanter, ut appareret

facile, ipsos, quid dicerent, ignorare. Tum Hospitalius acriter homines obiurgat, asinos uocat, et quanquam ferme quinquaginta annos natos ad scholam et literarum studia remittit. Stabamus interim ego et Strozzius ad carminum, ac uultum attonitum et gestus, quibus hominem ad furcam ductum lepide exprimebant, non sine risu considerabamus. Exire uero illos iubet Hospitalius, nec iusiurandum, ad quod praestandum uenerant, recipit, sed regi se ignorantiam eorum indicaturum, et, ut alii in ipsorum locum surrogarentur, effecturum dicit. Quibus egressis, Hospitalius ad nos uersus: Ecce, inquit, immanes asinos. Religiosum profecto regi esse debet, tales ministros consilio suo inserere. Cui nos: Sed tu forsan iusto rigidior plus exigis ab illis, quam par est. Tum ille subridens: Imo uero, ait, quod pace uestra dicam, uulgaria haec sunt, quae scire eos oportet. Haec Brantomius. Quibus nos nihil addimus, sed singulos tantum singulis aulis Hospitalios optamus, qui ineptos homines illustrium collegiorum aditu arceant, et admissos olim eiiciant iterum atque sic sacra tribunalia perpurgent.

VIII

Inter imperitos uero ministros non eos modo referimus, qui omnium bonarum artium rudes Chremeti illi similes sunt, de quo *Terentius in Heauton timor. act. 5 scena 1*:

Quae sunt, ait, dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus,

In illum nihil potest: nam exsuperat eius stultitia haec omnia.

Sed imperitos et illos uocamus, qui docti quidem perhiben-

hibentur, et bonis literis uere adpersi sunt, earum tamen scientiarum, quae ministrum principis perficiunt, et ad munus susceptum recte gerendum pertinent, expertes uiuunt. Literatissimi ergo sint licet. Quia tamen id, quod debent, ignorant, indigni sunt officio suo, et propterea, quod temere onus uiribus suis maius subeunt, puniendi. Exstant uero non pauca huiusmodi ministrorum exempla. De Petro Loerio, consiliario Gallico, *Aegidius Menagius in uita Petri Aerodii pag. 20: Erat, inquit, Loerius Graece et Latine, Hebraice, Arabice et Chaldaice doctissimus, sed iuris, in quo uersabatur, plane ignarus.* De Tiberio Cerasa *Ianus Nicius Erythraeus in Pinacotheca III. p. 100: Experientia, ait, compertum est in eo id, quod est uerissimum, non semper eundem, qui sit aptus ad studia literarum, esse etiam ad publica negotia gerenda idoneum: aliam enim esse rationem magistratuum gerendorum, ac literarum studiis operam dandi. Etenim multi, qui in hac umbratili doctrinarum exercitatione ingenii acumine ac percipiendi celeritate longe multumque ceteris antecedunt, iidem postea ad rempublicam capeffendam traducti, et tanquam in puluerem, ut dicitur, et solem educti, in eadem republica regenda aliis non tam doctis, quam ipsi, sed ciuili prudentia praestantioribus, longo interuallo inferiores inueniuntur.* Nam muneri, quod suscepit, non satisfecit, sed multa, quae reprobenderes, admisit, non quidem studio ac uoluntate nocendi, sed, quod prudentia ac rerum usu careret. Aliquid interdum mali faciebat homo minime malus. *Bessarion Cardinalis et Ioannes Lascaris, ille Pontificis Maximi ad Ludouicum XI Galliarum regem, hic Ludouici XI ad Venetos orator, ambo eruditissimi, sed negotiorum publicorum rudes, imperitia sua res dominorum pessumdederunt, quemadmodum Wiequefortius dans*

l'Ambassadeur lib. 1 sect. 7 p. 79 narrat. Atque idem adhuc hodie frequentissime accidit. Cui malo ut mederetur, Henricus IIX Angliae rex non imprudenti certe, sed tamen irrito consilio scholam et seminarium ministrorum publicorum instituere uoluit, cuius leges in compendio exhibet *Burnetus in historia reformationis ecclesiae Anglicanae P. I lib. 3 p. 626.*

X

Virtus bona semper est. Sed minister tamen principis aliquando, dum nimio rigore uirtutem sectatur, delinquit. Id quod *Cicero lib. 5 Tusc. Qu aest.* exsuperantiam uirtutis appellat. Videbimus exempla. Iustus sit oportet minister. Peccat uero, quum iustitiam scrupulosius et durius, quam par est, exercet, atque ex summo iure summam iniuriam facit. Huc pertinent collegiorum praesides et adfessores, qui, neglecta aequitate, uerba legum aucupantur, atque secundum *Ammianum Marcellinum lib. 30 cap. 6* inresolubili nexu uincientes negotia laborant, ut omnis quies litibus implicetur et nodosis quaestionibus de industria iudicia circumscribunt; quae quum recte procedunt, delubra sunt aequitatis, quum deprauantur, foveae et fallaces et coecae, in quas si captus ceciderit quisquam, non nisi per multa exsiliet lustra ad usque ipsas medullas exsuctus. Referri quoque huc debent crudeles illi et inexorabiles poenarum exactores, qui cum Wallensteinio mitius furca supplicium non infligunt. Quae asperitas multum saepe nocet reipublicae. Narrat *Brantomius dans les Vies des hommes illustres tom. 1 p. 128* domini de l'Escu, quem rex Galliarum prouinciae Mediolanensi praefecerat, rigorem nimium, trop rigoureuse iustice, seditionem excitasse, qua prouincia illa Galliae regno fuerit erepta.

XI

Diximus, exsuperantiam iustitiae, seu rigorem nimium, aliquando crimen esse. Nunc idem de misericordia et lenitate intempestiua et nimia affirmamus. Committunt hoc delictum hi potissimum ministri, cui iudiciis praeficiuntur. Damnat in illis recte misericordiam praeposteram Callistratus in *L. 19 §. 1 de Officio praefidis*. Peccant ergo, qui maleficos impunitos dimittunt. Tollitur enim sic iustitia. At, remota iustitia, regna nihil aliud esse, quam magna latrocinia, recte *Augustinus de Ciuitate dei lib. 4 cap. 4* ait. Et, ut eleganter Fronto apud *Dionem Nicaeum* de Nerua, indulgentissimo principe, dixit, peius profecto est imperium, in quo omnia licent omnibus, eo, in quo nemini quidquam facere licet. Peccat porro iustitiae administer, et secundum *L. 8 §. 2 C. Ad L. Iuliam de ui publica* quoque infamis fit, qui maleficos poena quidem, sed molliore, quam leges constituerunt, adficit. Peccat item, qui in controuersis inter opulentos et pauperes ortis ex horum semper partibus stat, et illos etiam iustam causam fouentes condemnat. Accidit hoc aliquando, ut de suo iam tempore *Terentius in Pbormione actu 2 sc. 1* memorat: *Iudices, inquit, saepe propter inuidiam adimunt diuiti, aut propter misericordiam addunt pauperi*. Peccant etiam et infamia notantur, qui pro perduellibus apud principem intercedunt, *L. 5 §. 2 C. Ad L. Iuliam maiestatis*. Peccant non minus exactores tributorum, qui propter misericordiam in muneris sui exercitio sunt remissiores. Vide *L. 3 C. de Exactoribus tributorum*. Peccant denique duces bellici, qui ex misericordia hostibus parcunt, et iussa principis plene non exsequuntur.

XII

Nimia fortitudo delictum est atque in audaciam degenerat. Peccant ita consilarii, qui confidentiores, quam par est, citra necessitatem res temerarias et summo cum reipublicae aut principis periculo coniunctas gerere suadent. Dicimus citra necessitatem. Nam aliquando res ipsa audax et temerarium consilium poscit, ut adeo male *Walsinghamus cap. 26 des. Maximes Politiques* ministro, ne unquam periculosi consilii auctor sit, praecipiat. Peccant uero hac in parte maxime duces bellici, qui, ut fortitudinem suam ostendent, nulla eam prudentia temperant, sed coeci in pugnas et proelia ruunt, atque exercitus et patriae salutem unico fortunae casui exponunt. Poenam hi merentur, etsi res forte bene cadat. Nec improbari debent mores Carthagenensium, qui, teste Manlio apud *Liuium lib. 38 cap. 48*, in crucem tollebant imperatores, si prospero euentu, prauo consilio rem gessissent. Huc pertinent praesidiorum in urbibus et castellis praefecti, qui ui hostium ad incitas redacti, incisa licet omni salutis spe, malunt tamen superbi extrema omnia pati, militumque suorum et ciuium uitam furori hostium obiicere, quam honestas, quae offeruntur, deditiois leges accipere. Cuius rei singulare exemplum apud *Brantomium in uitis uiuorum illustrium tom. 2 p. 262 sqq.* exstat, Montluccii scilicet, qui praesidio Gallico in Sena oppido praepositus, et ab Hetruariae duce oppugnatus, fameque inprimis pressus, dedere tamen urbem, etsi seruare eam nullo modo posset, noluit, tandem uero ciuibz hoc permisit, sed ipse conditiones subscribere recusauit, uanissima ambitione praetextens, *que le nom de Montluc ne s' en trouueroit jamais en capitulation.* Quam fortitudinis exsuperantiam ipse improbauit Henricus

ricus Galliarum rex, mirarique se dixit hostium indulgentiam, qui ipsum et milites egredientes non contrucidassent. Poterit ergo princeps huiusmodi ministros improbe et cum damno reipublicae fortes punire. Quin imo hostes ipsi poenas exigere solent. Mos quippe in bellis receptus est, milites captos supplicio afficere, quum pauci atque in locis apertis uel parum munitis constituti inani defensione totum exercitum morantur. Quem morem damnare uidetur *Grotius de iure belli ac pacis lib. 3 cap. 4 §. 13*, sed melioribus rationibus excusat *Michel de Montaigne lib. 1 cap. 14*, atque usus comprobatur. Certe aliquot a *Montano*, *Thuano*, nec non auctore *Theatri Europaei* passim memorantur exempla militum praesidianorum in furcam propterea actorum, quod tali in loco se defendere ausi essent, qui nullo modo idoneus fuerat, ut ex eo hosti deditionem poscenti resisteretur.

XIII

Religionis et pietatis in Deum exsuperantia aliquando delictum est, quum nempe in superstitionem degenerat. Peccant igitur ministri, qui sectae eius, cui dediti sunt, ueneratione et amore occaecati ceteros diuersam formulam religionis profitentes oderunt et persequuntur, atque sic saepe ad tumultum et seditionem excitandam compellunt. Damnant hoc superstitionis genus Augusti in *L. 6 C. de Paganis* atque rectoribus prouinciarum, qui Iudaeos ac paganos quiete degere non sinunt, poenam minantur. Peccant item, qui bona principis et publica in ditandos sacerdotes et ornamenta templorum profundunt. Peccant porro, qui sacerdotibus bona malaue suadentibus obsequium praestant. Peccant etiam, qui intempestiuo Dei cultu distracti officium suum negli-

negligunt, et occasionem rei gerendae praetermittunt. Vidimus ante aliquot annos libellum in magna Britannia pro defensione ducis cuiusdam bellici editum, quo is culpam, quod res sub suis auspiciis parum prospere cessissent, a se amoliebatur, atque in praecipuum magni principis ministrum, qui negotia grauissima ac moram non ferentia cultus diuini praetextu distulisset, deuoluebat. Sed hoc forte ministro isti per iniuriam obiectum fuit. Quidquid tamen sit, ex historiis constat, superstitionem ministrorum regna saepe et prouincias pessumdedisse, atque multum principibus nocuisse. Admodum itaque uerosimiliter *Tolandus in Adeisdaemone* et *Baylius* in scriptis suis passim affirmant, superstitionem reipublicae, si non magis, certe non minus exitiosam esse, quam atheismum. Peccant tandem et illi, qui certae addicti sectae huius commoda etiam cum principis detrimento quaerunt, atque omnes diuersam opinionem amplexos acriter persequuntur. Comitum Schvvarzenbergium, primum Georgii Wilhelmi, Electoris Brandenburgici, ministrum, si *Pufendorffio Rerum Brandenburgicarum lib. 1 §. 3* credimus, *in transuersum rapiebat labes, qua plerorumque Romanis ritibus addictorum animi infecti sunt, ut pium credant, suae sectae res quacunque ratione promouere, aduersae partis fortunas hostili odio subrutum ire.*

XIIII

Non longe ab his recedunt, qui ex magnitudine animi, quam prae se ferunt, grandia tantum et illustria crepant, ac, quidquid uile et humile uidetur, etsi bono publico conueniat, adspernantur. Videas illos remedia omnia, quibus succurrere reipublicae et seruire principi suo poterant, relicere tanquam suo principisque sui fastigio

stigio indigna, siquidem uel parum se in illis adhibendis demittere necessum sit. Poterant huiusmodi ministri magnanimitatis affectatores appellari. Non iniucundum erit unum alterumue eius rei exemplum adferre. Suppeditabit ea nobis *Leti Ceremoniale politico P. I. lib. 1. p. 76. sqq.* Scilicet orator quidam ab Hispaniarum rege ad Urbanum VIII Pontificem Maximum missus iussus erat inprimis Antonii Cardinalis, cuius in aula Romana auctoritas summa erat, consilia et artes inuestigare. Sed hoc difficulter procedebat ob fidem eorum, quorum opera Antonius utebatur. Dum igitur fluctuat orator, quidam ei ex amicis: Videsne, inquit, Antonium hominem mulierosum esse, et Cadoram omnia apud illum posse. In huius ergo amicitiam te insinua. Neque enim est alia expiscandi secreta Antonii uia. Ad haec orator: Ista, quam tu mihi praecipis, meretriculae amicitia neque religioni meae, neque maiestati regni mei conuenit. Malo ergo nihil, quam hac uia proficere. Atque profecit etiam nihil, sed perfectum est, ignaro illo, inter Antonium Gallosque foedus non sine magno Hispaniarum detrimento. Similis fuit obstinatio alterius Hispanici ad Carolum II Magnae Britanniae regem oratoris, qui suadenti amico, ut Portusmutiam, concubinam regiam, et per hanc regem, cuius ope tunc Hispani ad defendendam Flandriam magnopere indigebant, sibi conciliaret, indignabundus respondit: Mallem, *inquiens*, regem meum dimidium regni sui perdere, quam fauore mulierculae partem eius seruare. Quae igitur huic displicuerat uia, eam aduersarius eius, orator Gallicus, ingressus, quae uoluit, adeptus est. Haec *Leti*. Nemo profecto distitebitur, peccasse hos ministros, atque, quod salutem regni suae pertinaciae et honestati imaginariae postposuerunt, poenam meruisse. Imagi-

nariam uocamus honestatem, quam illi peruicaciae suae praetexuerunt. Nihil quippe turpitudinis habet, ambire amicitiam amicae regiae animumque huius munusculis delinire, si hoc reipublicae et principi utile est. Ipse hoc facere non dedignatus est Carolus V Imperator, sed, quum in transitu per Galliam a Francisco rege de se retinendo deliberari acciperet, consilia haec per Ducissam Stampensem, regis concubinam, gemma pretiosissima sibi conciliatam, discussit. Ne quis tamen putet, nos oblitos eorum, quae supra in §. 6. diximus. Alia quippe munerum publicorum ratio est, quae uirtute et meritis obtineri debent, non astu et insidiis. At quod principi et reipublicae conducit, quouis modo, nisi is prorsus inhonestus sit, quaerendum est.

XV

Est et magnificentia ac liberalitas, si modum excedat, crimen. Equidem tantum abest, ut ministro principis pro crimine obliuiscamur proprii sui patrimonii in honorem atque utilitatem principis sui profusionem, ut potius in eo animi magnitudinem agnoscamus et ueneremur. Igitur illos tantum arguimus, quorum inutilis liberalitas et splendor reipublicae atque aerario grāuis est. Sicuti enim tutori imputatur, quod plus iusto impendit, *L. 2. §. 1. sqq. Vbi pupillus educari, uel donauit, L. 46. §. ult. de Admin. et peric. tut.* ita et minister principis, qui, dum legationes obir, uel prouinciis praest, uel fiscum administrat, uel exercitum ducit, nimis sumptibus donationibusque fiscum principis sui exhaurit, merito punitur. Inter cetera Thomae Wolsey, qui sub Henrico VIII Angliam gubernauit, peccata, ambitiosa illa et toti regno grāuis magnificentia memoratur a *Burneto in Historia reformationis ecclesiae Anglicae P. 1. lib. 1.*

p. 19. Incredibilem illum factum et splendidissimum comitatum, quo ablegatus ad Carolum V Imperatorem usus est, attoniti uiderunt Daniae rex et Germaniae principes, secundum *P. D. P. dans l'histoire des plus illustres favoris* Tom. 2. p. 303. Et quum deinde iterum in Galliam mitteretur, ad exornandam eius pompam, graue tributum toti Angliae regno cum maxima magnatum et populi offensione impositum est, ut narratur *ibidem* p. 310. Qui annales Gallicos euoluerunt, Fuqueti, summi aeraarii praefecti, fata non ignorant. Causam, quae illi exitium attulerit, breuiter, sed uere et significanter, exprimit *Bussieres ad historiam Francicam anno 1661: Vir, inquit, ens, praeclaris instructus dotibus, sed forsitan supra priuatum magnificus, hac procella iactatus, nondum emerfit.* Copiosius incredibilem uiri huius magnificentiam describit aduocatus regis Talon in scripto, quod in *tomo 3 du Recueil des Defenses de Mr. Fouquet* reperitur.

XVI

E contrario, ut tutor in *L. 12. §. 3. de Admin. et peric. tut.* impensas non quas minimas poterit, sed pro dignitate natalium pupilli facere iubetur, sic et in ministro principis nimia parsimonia aliquando crimen est. Duo exinde oriuntur mala. Alterum est, quod princeps ex hoc apud externos contemptum incurrat. Exemplum suggeret *Luitprandus, Cremonensis episcopus, qui in Legatione ad Nicephorum Phocam Imperatorem Constantinopolitanum pro Ottonibus Augustis et Adelbaida ab Henrico Canisio edita p. 85.* Nicephorum et ob proprias sordes et ob ministrorum immunditiam irridet: *Sed et, inquit, optimates sui, qui cum ipso per plebeiam et discalceatam multitudinem ipsam transferant, magnis et nimia uetustate rimatis tunicis erant induti. Satis decentius quotidiana ueste indui*

duti procederent. Nullus est, cuius atavius hanc nouam haberet. Nemo ibi auro, nemo gemmis ornatus erat, nisi ipse solus Nicephorus, quem imperialia ornamenta ad maiorum personas sumpta et composita foediorum reddiderant. Per salutem uestram, Ottonem Augustum filiumque eius adloquitur, quae mihi mea carior exstat, una uestrorum pretiosa uestis procerum centum eorum et eo amplius pretiosior est. Narrant itinerariorum in Russiam, Persiam, Indiam, Turciam scriptores, terrarum harum dominos, si quis ad eos ab extero principe orator mittitur, mittentis potentiam et opes ex legati nitore et comitum multitudine aestimare, atque abiecte admodum de principe sentire, cuius orator non satis cultus et ornatus aduenit. Alterum, quod ex hac intempestiua parsimonia proficiscitur, malum priore grauius est, dum non famae principis et existimationi tantum, sed et commodis reapse nocetur. Eos maxime ministros hac in parte uideas peccare, qui ad exterorum principum aulas ablegati pecuniam in loco negligere, munuscula distribuere, atque per haec animos sibi hominum conciliare, et ea, quae scire sua interest, sic expiscari nesciunt, irritoque saepe propterea euentu domum reuertuntur. Vide *Friderici de Marselaer Legatum lib. 1. diff. 15.* Sed et illorum, qui exercitibus praeficiuntur, parsimonia principi nocet. Parum certe proficient, qui sumptibus in exploratores et speculatores faciendis parcunt, atque munificentia sua militum sibi amorem non adquirunt. L. Luculli prudentissimi fortissimique Romanorum imperatoris uictorias ipsius parsimonia interrupit. Ad conficiendum quippe bellum properantem destituerunt milites, et manus tendentis nihilque non indignitatis subeuntis, ut contumaciam eorum flecteret, preces et lacrymas auersati uacuas ostentarunt zonas, solum iubentes dimicare cum

cum hostibus, ex quibus solus sciret ditescere. Vide *Plutarchum in vita Luculli*. Habuit et nostra aetas Lucullos non sine gloriae patriaeque suae dispendio parcos nimium et tenaces. Belle *Brantomius in Vitis uirorum illustrium tom. 2. p. 334*: *Jamais, inquit, avare capitaine ne fit beaucoup.*

XVII

Adiungemus his illos ministros, qui, ut fidem suam principi probent, fiscum eius augere modis omnibus, improbis etiam et inhonestis, non erubescunt. Dici non potest, quantopere haec pestis plerasque principum aulas infecerit et florentissimas saepe provincias pessumdederit. Eo scilicet impudentiae progrediuntur ministri quidam, ut contractus optima fide celebratos rescindant, bona ciuium auferant, pecunias maximas imperent et exigant, iura praediorum imminuant, fidem datam fallant, atque id omne boni publici praetextu contra manifestam iustitiam et aequitatem. Et impunita fere semper manet ista improbitas, quippe principibus lucrosa. Aliquando tamen huiusmodi ministros immolari uidimus odio publico et ob dolum ab ipso principe, cui per eum prodesse uoluerunt, puniri. Sic Icti Helmstadtnses mense Ianuario anni cdo 10 cc XIX damnarunt ministrum, atque inter causas damnationis etiam hanc posuerunt: Es lauffet gegen alle Gerechtigkeit und Billigkeit, und ist Sr. Durchl. nicht wenig verkleinerlich, daß, da Dieselbe das Gut Aridum dem Neapolitanischem Cansler Gandolfo verkauffet und gewehren sollen, dennoch von ihrentwegen dem Appio, welcher selbiges vindiciret, und also Sr. Durchl. Veräußerung als unrechtmäßig angefochten, adhistiret und mit diesem in casum uictoriae ein unan-

ständiges, und zu Erhaltung einiges, jedoch mit Disreputation verknüpften, Vorthels abzielendes pactum geschlossen worden.

XVIII

Peccant non minus, qui in muneris sui administratione aut iussorum exsequutione principis sui commodis conatu maximo seruiunt, sed artes tamen tales, quas lex naturae damnat, adhibent, rati, licere sibi omnia, dummodo negotium commissum feliciter expediatur. Legatorum hoc saepe delictum est, quorum aliqui, ut id, cuius causa missi fuerunt, obtinerent, nihil intentatum reliquerunt, et, quod honeste non potuerunt, scelere effecerunt. Sed operae pretium est, inuestigare, quantum hic legato liceat. Equidem sunt, qui arctioribus, quam par erat, limitibus legati officium circumscribunt, nec unquam illi astu aut simulatione uti permittunt, sed, ut aperte semper ac sine fuce agat, praecipunt. Ast boni hi Catonem imitantur, qui, secundum *Ciceronem lib. 2. epist. 1. ad Atticum*, optimo animo utens et summa fide reipublicae nocebat, dum tanquam in Platonis πολιτεία non tanquam in Romuli faece sententiam diceret. Potuisset scilicet istorum philosophia, si quidem aureum seculum perdurasset, inter homines simplicissime uiuentes locum inuenire. At nostra aetate legatus ingenua illa et aperta agendi ratione nihil proficeret. Ergo damnari non debet, si callide rem gerit, si fecte et simulate aliquando loquitur. Consentit nobiscum *Pufendorffius Rerum Brandenburgicarum lib. 5. §. 35.* legatum Hispanicum Castellorodericum, uirum fidum atque candidum, quantum muneris conditio ferre poterat, appellans. Ridenda itaque est grauitas illa senatorum Romanorum, quam *Liuius lib. 42. cap. 47.* memorat. Nempe Mar-

Marcus et Atilius a Perseo Macedonum rege, ad quem legati fuerant, reduces, quum legationem in Capitolio renunciarent, nulla re magis gloriabantur, quam decepto per inducias et spem pacis rege. Adeo enim apparatibus belli fuisse instructum, ipsis nulla parata re, ut omnia opportuna loca praeoccupari ante ab eo potuerint, quam exercitus in Graeciam traiceretur. Spatio autem induciarum sumpto, venturum illum nihilo paratiorem; Romanos omnibus instructiores rebus coepturos bellum. Boeotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne coniungi amplius ullo consensu Macedonibus possent. Displicuit uero hoc ueteribus, qui, moris antiqui memores, negabant, se in ea legatione Romanas agnoscere artes, et, quidquid egissent legati, tanquam uersutias Punicas et calliditatem Graecam damnabant. Vanissime profecto. Neque enim illicitum aut inhonestum est, astu erga eum, quem tecum callide et simulanter agere animaduertis, uti, animique tui sententiam non aperire ei, qui, ut tu illi uerum dicas, iure nullo poscere potest. Si uero legati, qui, ut principi sui seruiant, eos, quos aduersari negotiationi suae uident, insidiis adperunt, tumultus et seditiones concitant, uenenis grassantur, et alia huiusmodi perpetrant, peccant, et ab ipso principe, in cuius aula tale facinus adgressi fuerunt, non in custodiam tantum mitti, sed morte etiam puniri possunt, ut recte docet *Cocceius de Legato sancto non impuni*. Qua de re alio tempore plura dicentur.

XVIII

Numquid uero legato ministros principis, ad quem missus est, corrumpere licebit? Si *Wicquefortio* credimus, hoc ei sine dubio licet. Ita enim ille statim in titulo *sectionis 9. lib. 2. de l' Ambassadeur*: *Il est permis,*
ait,

ait, à l'Ambassadeur de corrompre les ministres de la cour, où il negocie; et deinde: On peut dire, que c'est un des importants services, que l'Ambassadeur puisse rendre à son Maître, de lui acquérir un des Ministres de la cour, où il negocie. Car servant de l'espion honorable, ce n'est pas seulement un moyen seur de penetrer le secret, mais aussi de faire donner aux affaires le tour, que son Maître desire, et qui s'accommode à ses interests. Or que l'Ambassadeur, qui gagne ou corrompt un ministre, ne viole point le droit des gens, et demeure dans les termes de sa fonction, c'est, dont tout le monde est d'accord. Haec Wicquefortius. Verum in exemplis, quae praemittit et subiicit, apparet, consensum illum totius orbis, de quo gloriatur, tam communem, ut ille putat, non esse. Narrat scilicet, legatos Archiducis Austriae Hagam anno 1607 missos scribae publico per monachum, comitem suum, insignia munera, quibus eum in partes suas pertraherent, obtulisse, Ordines uero foederati Belgii certiores ea de re factos offensos fuisse grauer, et obiurgasse legatos, ipsumque Archiducem, suo iussu hoc factum, negasse. Memorat deinde, Henricum IV Galliarum regem legati Hispanici, Balthasaris de Zuniga, ministrum, qui secretarium regis ad prodendam Marsiliam donis inducere tentarat, in uincula coniecisse, et legatum ea de re querentem mascule refellisse. Et profecto rem accuratius considerantibus uerius uidetur, peccare legatum, qui ministros corrumpit. Proditio enim, quae per largitiones intenditur, delictum est sine dubio. Delinquit ergo, non qui accipit solum, sed et qui dat. Conuenit hoc rectae rationi, conuenit et iuri scripto. Vide *L. 1. §. 2. de Lege Cornelia de falsis L. 2. de Condict. ob turpem uel iniust. L. 3. C. Ad L. Iuliam repetundarum*, et *can. 15. §. 1. causa 14. q. 5.* Nec mouet nos in contrarium ratio Wicquefortii, qui legatum honestum

nestum speculatorem appellat. Nam si honestus est, honestis etiam, non illicitis, remediis utatur oportet. Aliquando tamen largitiones facere legatis permittimus, tunc scilicet, quum id, quod per eas quaeritur, uetitum non est. Sic propitios sibi principique suo ministros aulae, in qua uersatur, per dona reddere potest legatus, potest iisdem quid offerre, ut negotia sua proponant, commendentque regi, ad quem missus est. Nec improbari possunt eae donationes, quae ad hoc fiunt, ut secretas exterorum in eadem aula machinationes expiscetur legatus, ut, quae extra consilium principis agitantur, resciscat, ut ingenium principis, coniugis eius et purpuratorum cognoscat.

XX.

Sed redeamus in uiam, ex qua egressi sumus. Poterit etiam minister prompto nimis ad iussa principis obsequio peccare, quando scilicet mandata improba et iniusta exsequitur. Verum hoc delictum esse, alii iam ante nos contra Hobbesium euicerunt, istam tamen quaestionem, quousque principis in mandando potestas sese extendat, non satis lucide definierunt, atque, ut scite monet *Gribnerus in Principiis iurisprudentiae naturalis lib. 4. cap. 2. §. 1*, dum Charybdin uoluerunt uitare, in Scyllam inciderunt, et iniustas plane dixerunt leges, quae aut aequissimae omnino erant, aut saltem non iniustae. Non displicet uero regula, quam *idem Gribnerus in sq. §. 5.* ad tollendas istas difficultates proponit: Quidquid per pactum potest constitui, id quodque potest constitui a principe; quidquid autem conuentione interposita non potest admitti, id quoque princeps iubere aut permittere nequit. Quamobrem innocentem accusare, damnare, occidere, homines rebus suis spoliare, bello iniu-

sto interesse minister, etsi princeps hoc iubeat, non debet. Si fecerit autem et in ius deinde propter istud obsequium uocetur, iussum principis frustra obtendet, nec eius praetextu poenam uitabit. Vana ergo erat apud *Tacitum Annali 13. cap. 43.* Suilii de institutis accusationibus iniustis accusati defensio, nihil ex his sponte susceptum, sed principi se paruisse dicentis, et iussa Messalinae praetendentis, recteque respondebatur, puniendos etiam esse rerum atrocium ministros. In famoso illo Gothano bello, quod Augustus, Septemuir Saxo, anno 1567. contra Io. Fridericum gessit, et quo Grimmensteinium, castellum incomparabile, solo aequauit, ministri Io. Friderici, qui opem principi delinquenti tulerant, graui supplicio affecti sunt et cancellarius Pontanus etiam in partes sectus est. Quod pluribus *Thuanus histor. lib. 41.* ceteri que belli Gothani scriptores, longo ordine a *Sagittario in histor. Gothana cap. 3. §. 18.* enumerati, narrant. Nec infrequens est, ipsum principem a satellitibus et exsecutoribus nequitiae suae poenam exposcere. Memorat *Tacitus Annali XIV. c. 62.* Neronis in Anicetum, cuius ministerio in occidenda matre usus fuerat, graue odium, additque causam, quia malorum facinorum ministri quasi exprobrantes adspiciuntur.

XXI

Sed quid de *Pufendorffii* philosophia sentiendum est, qui *lib. 8. de iure naturae et gentium cap. 1. §. 6.* et *de Officio hominis et ciuis lib. 1. cap. 1. §. 24.* ministrum peccare negat, si metu adactus iniusta mandata exsequatur. Nobis equidem, singulas *Pufendorffii* rationes excutere, in praesens non uacat. Sententiam tamen nostram paucis exponemus. Peccat is minister sine dubio aduersus Deum, qui iussis eius iussa principis salutemque suam anteponit,

teponit, peccat etiam aduersus se ipsum, dum bonum utile magis quam honestum amat, dignitatemque suam, patrimonium uel uitam, quam existimationem et laudem integritatis, conseruare mauult. Nec libertatem ei prorsus ademptam ipsumque instrumenti tantum instar habendum esse, dici potest, quum coacta uoluntas, si rem recte consideres, etiam uoluntas sit. Quoniam tamen ea libertas per uim externam magnopere imminuitur, leuius utique crimen est, quod committitur, atque in foro humano puniri non debet.

XXII

Alia quoque ratione obedientia in ministro crimen esse potest, quum is scilicet iussa principis coeca superstitione ad literam, sed intempestiue et contra utilitatem iubentis, exsequitur. Tales quippe in expeditione negotii incidunt circumstantiae, quas iubens non praeuidit, et quae tamen faciem rerum prorsus mutant, et, ut agendi ratio quoque mutanda sit, efficiunt. Quodsi ergo tum minister, neglectis prudentiae legibus, presse uerba mandati sequitur, peccat profecto contra commoda et uoluntatem etiam principis, qui, si ea, quae deinde acciderunt, cogitatione praecepisset, diuersum procul dubio mandaturus fuisset. Inest enim tacite haec potestas cuilibet mandato, ut procurator possit mandati limites, si hoc expedire mandanti manifeste uideat, egredi. Id quod et rectae rationi et iuri Romano conuenit. Vide *L. 46. Mandati*, ubi una adiicitur limitatio, nisi certum mandatum sit, hoc est, mandans aperte prae se tulerit, uelle se absolute, ut forma mandati seruetur. Neque existimandum est, libertatem hanc mandatis tantum priuatorum inesse. Inest eadem et mandatis principum. Vide *c. 5. X. de Officio et potestate iudicis delegati*, ibi: *super omnibus, quae ad causam ipsam spectare*

noscuntur, plenariam recipit potestatem. Quapropter commissarius principis recte facit aliquando, aliud faciendo, quam quod princeps iusserat, si id scilicet uelle principem certis coniecturis prospicit. Iussus erat minister iter in locum dissitum facere testemque examinare. Quum aduenit, testem mortuum deprehendit. Ii ergo, quorum intererat, alium eius loco nominant. Nec dubitat illum adsumere minister. Deinde uero aduersarii examinationem hanc, tanquam extra limites mandati factam, impugnabant. At sustinuerunt eam Icti Helmstadienses et sic mense Februario anni MDCCXIX. responderunt: Beklagter wendet wieder den Beweis ein, daß die zu Abhöhrung der Zeugen verordnete Commissarii durch Annehmung des Thomas Wasserlebens zum Zeugen die Grenzen ihres Commissorialis, als worinnen dieses Wasserlebens nicht gedacht worden, überschritten, demnach dessen Aussage in keine Betrachtung zu ziehen sey. Alldieweil aber ein Commissarius in den ihm aufgetragenen Sachen plenariam potestatem empfängt, also den blossen Buchstaben seines Commissariats superstitiose und blindlings nachzugehen nicht nöthig hat, sondern auch diejenige Actus, welche ex natura rei flüssen, und dem Commissoriali zwar nicht ausdrücklich einverleibet, jedoch der Klugheit und Dexterität des Commissarii überlassen werden, verrichten kan, diesennach die zu dem Zeugen-Verhör verordnete Commissorii daran ganz recht gethan, daß sie an statt des in dem Commissoriali benannten und vor dem Examine verstorbenen von Löben den von Klägern an seiner Stelle vorgeschlagenen Wasserleben angenommen und abgehöret. Quod uero de commissariis diximus, ad legatos quoque, praesides prouinciarum, praefectos urbium, duces belli-

cos

cos pertinet. Quaecunque iis dantur mandata, his tacita semper conditio, rebus sic stantibus, inest. Memorat igitur *Michael de Montaigne lib. 1. des Essais cap. 16.* obiurgatos fuisse ministros cum imperio a rege missos, quod in rebus gerendis uerba regionum mandatorum magis, quam tempora et circumstantias spectassent. Ridet ille simul P. Licinii Crassi, Consulis Romani, ineptam seueritatem. Is, quum Leucas oppugnare pararet, scripsit ad magistrum architectum Eleatensium, qui eo bello socii amique populi Romani erant, ut ex malis duobus, quos apud eos uidisset, maiorem mitteret. Magister cognito, arietem ex eo malo fieri oportere, minorem, quem ei instituto commodiorem iudicabat, misit. Vocatum igitur frustra excusantem Consul, quod obsequium ab ipso non consilium petitum fuisse diceret, nudari uirgisque multum caedi iussit. Absurde profecto et inique. Dum enim negotium hoc Crassus magistro architecto dederat, dum usum, cui malum destinarer, indicarat, deliberare quodammodo cum illo, nec arbitrium eius excludere uelle uidebatur.

XXIII

Prudentia tamen hic et circumspectione magna opus esse, haud negamus. Manifesta sit oportet utilitas et indubia principis uoluntas, ut a uerbis mandati recedere liceat. Idem uero, si res maxime ambigua est, non suademus. Equidem consultissimum foret, ad principem ipsum tunc recurrere, eiusque decisionem exposcere. At negotii, quod geritur, grauitas saepe moram non patitur, istudque remedium haud admittit. Tutissimum tunc est, mandati uerba non interpretari sed sequi. Et, qui aliter facit, minister peccat, atque, si res infeliciorem exitum habet, punietur. Damnat recte *Tacitus*

Histor. lib. 2. cap. 39. milites, qui iussa ducum interpretari quam exsequi malunt. Idem de ministris dicendum, quibus, nisi manifesta utilitas contrarium praecipiat, obsequii tantum gloria relinquitur.

XXIV

Potest etiam minister pro officii sui ratione uerum dicendo delinquere, si scilicet, dum uerum principi exponit, debitam illi reuerentiam non seruat, sed acrioribus et iniuriis uerbis eum obiurgat. Erga priuatum hoc crimen foret, itaque magis aduersus principem. Caueat ergo minister, ne reprehensio uideatur, quae dicit. *Monitio sit, ut Ambrosius 1. Offic. cap. 22. praecipit, sine asperitate.* Qui secus facit, punitur merito. Non possumus itaque improbare iudicium Macedonum, qui apud *Curtium lib. 8. cap. 2.* Clitum, quem Alexander inter pocula audacissime sibi obloquentem et cum conuittio uerum dicentem obtruncarat, iure caesum decreuerunt. Nec male *Arrianus lib. 4. de Rebus gestis Alexandri* idem de Callisthene, cuius intempestiuam et intolerabilem libertatem dicendi Alexander etiam morte punit, pronunciat. Ceterum in hunc scopulum facile impingunt hi, qui olim formandae et instituendae principis iuuentuti praefecti, adulto deinde principe, in consilium adsciscuntur, atque eandem, cui adsueuerunt, auctoritatem libertatemque in alumnum suum tunc etiam improvidi continuant, immemores, sese non paedagogos nunc esse, sed ministros. Occidit ob hanc causam Abas, Persarum rex, apud *Olearium in Itinerario Persico lib. 5. cap. 32.* ephorum olim suum, qui minister factus regem acerrime saepe reprehendebat atque aliquando in consilio sententiam dicentem imprudentem puerum uocarat, tacereque iusserat.

XXV

Magis etiam peccant hi ministri, qui, postquam ex diuturna consuetudine et familiaritate animum principis et uitia, sine quibus nemo nascitur, perspexerunt, aliis ea indicant et abiecte de domino loquuntur. Iniuria haec est sine dubio, quam ueritas conuitii haud excusat. Perdidit uero hoc quam plurimos. Ancreum ad gubernacula Galliarum sub Ludouico XIII adhuc iuene sedentem insolentia euertit, cuius non pauca exempla rex ipse eo, quo Ancreum occidi curauit, die familiaribus narrauit. Praecipuum fere est, quod actionem quandam regis puerilem et ferula dignam erga amicos uocarat. Vide *l' Histoire des plus illustres Fauoris anciens et modernes tom. 3. p. 188.* Consulebantur ICTi Helmstadienses mense Iunio anni MDCCXVIII de ministro, qui uerbis liberioribus in principem suum atque matrem eius luserat, illumque simplicem esse et morosum, einfältig und wunderlich, dixisse, hanc impudicitiae insinulasse perhibebatur. Dignum hoc crimen existimarent ICTi, propter quod custodiae mandaretur reus et speciatim in eum inquireretur: Daß Portumnus in sichere, doch leydlliche und honnête Verwahrung zu nehmen; und über gewisse Inquisitional-Artickel, welche aus den Actis gezogen werden können, zu befragen, worauf, und wenn er in dem Läugnungs-Fall mit den Zeugen confrontiret, auch mit seiner Defension, daferne er solche verlanget, zugelassen worden, allenthalben ferner ergethet, was recht ist. Obicii nobis poterat *Lex un. C. Si quis imperatori maledixerit.* Verum, quod ibi exstat, singularis mansuetudinis exemplum alios principes non obligat, ut necessario id imitentur.

XXVI

XXVI

Timiditas in ministro principis uitium est, ac poenam meretur. Equidem fuerunt, qui dubitarent, an quis plane ob metum, mali praesertim atrocioris, puniri possit. Nec negandum est, delicta, quae per metum perpetrantur, ex infirmitate tantum proficisci, adeoque leuiores esse illis, quorum causa dolus et malitia est. Verum enim uero etiam is, qui per infirmitatem in munere suo peccat, peccat tamen, *ff. 8. l. de L. Aquilia*. Nec infirmitas haec inuincibilis est, sed, si modo debita cura adhibeatur, potest expugnari. Quod etiam ad genus poenae in timiditatem statuendae attinet, longissime dissentimus a *Michaele de Montaigne*, qui *lib. 1. des Essais cap. 15.* ex opinione magni principis fas esse negat, timidum ultimo supplicio affici, praestareque putat, ut poena ignominiosa inflicta suffundatur illi sanguis, quam effundatur. Displicet, inquam, nobis haec sententia, nec putamus, infamiam sufficere ad coercendum et in officio retinendum imbellem ignauumque uirum. Scit ille iam, per se ignominiosum esse, fugere aut meticulosum se ostendere. Quod si ergo haec eum ignominia non mouet, uix mouebitur lege contumeliam aliquantulum exasperante, cessabitque finis ille praecipuus, quem poenae intendunt, terroris scilicet incussio. Haec aliter non obtinebitur, quam si per poenam maius malum repraesentetur, ut timidus ille inter duo quasi mala positus minus eligat officiumque suum faciat. Imitari nempe oportet Domitianum, qui Mucii Scaeuolae manum suam coram Porsenna urentis fabulam populo exhibiturus, ei, qui Scaeuolae personam sustinere debebat, ne doloris metu sensuque manum retraheret, grauissimum, quod Romani unquam excogitauerunt, supplicium, tunicam uidelicet pice, resina, ceterisque flammaram alimentis

mentis imbutam, proponebat, atque sic doloris metum maioris doloris metu expugnabat. Qua de re eleganter *Martialis lib. 10. epigr. 25:*

*In matutina nuper spectatus arena
Mucius, imposuit qui sua membra focis,
Si patiens fortisque tibi durusque uidetur,
Abderitanae pectora plebis habes.
Nam quum dicatur tunica praesente molesta:
Vre manum; plus est dicere, non facio.*

Similiter ergo, qui metum mortis in milite alioque vincere, eumque in officio continere uult, ignominiosam et doloris plenam mortem comminetur. Si cui durior haec sententia nostra uidetur, is publicum bonum spectet, atque, leuioribus poenis hoc seruari uix posse, cogitet.

XXVII

Sed exempla ministrorum, qui per timiditatem peccarunt, uidebimus. Frequens hoc delictum in ducibus bellicis est, quorum plurimos propterea, quod metu mortis minarumque hostilium iussa principis non fecerunt, uel castella fidei suae commissa deseruerunt, supplicio affectos enumerare facile foret. Sed de his alii copiose egerunt. Ceteri autem ministri ex timore rarius peccare uidentur. Accidit tamen hoc aliquando, potissimum in legatis. Hi nonnunquam metu retentorem principis segnius gerunt, aut maiestatem et dignitatem eius laedi patiuntur. Multum Francisco I. Galliarum regi nocuit timiditas legatorum, quos ille in aula Pontificis Maximi habebat eo tempore, quo Carolus V Romae erat, et in confessu Pontificis atque Cardinalium acriter contra Franciscum, praesentibus audientibusque sed minus, quam debebant, mascule respondentibus le-

M

gatis

gatis, declamabat. Vide elegans hac de re iudicium *Brantomii in Vitis uirorum illustrium tom. 1. p. 245. sqq.* Et fuerunt legati, qui timiditatem suam morte luerunt. Parthorum rex legatum suum Orabazum, qui Sullae, ad quem missus erat, loco cesserat, tanquam imminutae maiestatis reum necauit, teste *Plutarcho in Sylla.* Et Athenienses apud *Athenaeum lib. 6. Dipnos.* Euagoram legatum suum, quod regem adorasset, ad mortem damnarunt. Mogororum rex, Orangzeb, legatum suum, qui a Persarum rege ludibrio habitus non satis animose responderat, bonis ademptis in exilium misit. Vide *Volquart Iuersens Orientalische Reise: Beschreibung cap. 15.* Non uero legati solum, sed et alii ministri per timiditatem aliquando peccant. Huc referimus eos, qui offensam successoris in regno uel procerum regni metuentes iussa regis commodaque eius negligunt. Simile est delictum eorum, qui ex eodem metu facta principis improbant et se in illa consensisse negant. Perdidit haec timiditas Aligrium, Galliae sub Ludouico XIII Cancellarium, qui Gastoni, regis fratri, factum aliquod regis tanquam ex consilio Aligrii susceptum ei exprobranti, iram Gastonis reueritus, timidius se, quam dignitas regis poscebat, excusarat, in exilium propterea actus aulaque et munere abstinere iussus. Vide *Gramondi Historiam Galliae lib. 16.* Quod Aligrii factum soloecismum politicum apposite uocat *Pufendorffius de Jure nat. et gent. lib. 8. cap. 1. §. 7.*

XXIIX

Quod Paulus in *ep. 1. ad Timoth. cap. 6. n. 10.* et *Siracides cap. 31. n. 5, 6* aiunt: Radix omnium malorum amor pecuniae est; id in ministris maxime principum uerum esse, infinitis exemplis poterit doceri. Duo uidelicet

delicet sunt scopuli eminentiores, naufragio plurimorum ministrorum prae aliis infames, auaritia et ambitio. Qui hos vitare norunt ministri, plerumque felices sunt et cursum vitae honorumque fere semper ex uoto conficiunt. Ex istis tamen duobus saxis auaritia, mater illa secundum Iustinianum in *Novella 8 pr.* omnium malorum, periculosior est. Quae unquam charybdis tantos haurire gurgites possit, quantas auaritia praedas absorbit, et florentissimas maximorum ministrorum res afflixit. Certe qui collegiis Ictorum adsident, et sententias contra ministros principum delinquentes concipere saepe necessum habent, obseruabunt, paucos esse, aduersus quos praecipuum accusationis caput non ex auaritia desumatur. Ceterum ueritatem dicti illius Pauliani, quod auaritia radix omnium malorum sit, Icti Helmstadienses nuper mense Ianuario anni MDCCXIX responso quodam comprobarunt: Es leuchtet aus den ganzen Actis, und allen darinnen angeführten Handlungen, eine unmäßige Begierde, Geld und Gut zu erwerben, hervor, ist also nicht unwahrscheinlich, daß viele von den angeführten übrigen Delictis, deren ein grosser Theil auf den Animum ankommt, demnach so deutlich nicht erwiesen werden kan, von dem inhaffirtem begangen worden. Recte igitur Cardinalis ille apud *Chokierium in Thesauro Politicorum aphorismorum lib. 3 cap. 19* interroganti aulico, cuius maxime fidele esset consilium, respondit: Aurum contemnentis.

XXIX

Sed considerata sunt speciatim delicta, quae ex diuitiarum studio oriuntur. Nolumus hic repetere ea, quae iam supra in *§. 14.* de nimiae parsimoniae effectibus infelicioribus dicta sunt, etsi non ignoremus, hanc

quoque parsimoniam ex amore pecuniae proficisci. Sed istud quidem omissionis, quod uocant, peccatum facilius excusatur. Grauiora sunt, quae in commissione consistunt. Inter haec uero *δωροδοκία*, seu donorum cupiditas, primo loco ponenda est. Alibi iam diximus, rem per se illicitam in ministro non esse, munuscula accipere, aut contractum suffragii inire. Sunt tamen certi casus, quibus contractus ille inter uetita refertur. In primis minister quidquam capere aut stipulari nequit, ut officium suum faciat, aut non faciat. Hoc ipsum enim in crimen repetundarum incidit. *L. 6 §. 2 de L. Iulia repetundarum.* Peccant igitur ministri, qui in magistratu positi et iuri dicendo praefecti donationes eorum, qui bonam etiam causam fouent, meritoque suo uictoriam in iudicio reportant, recipiunt, *L. 2 §. 2 de Condict. ob turpem uel iniust. causam, L. 3 C. Ad L. Iul. repetund.* multo magis uero, qui corrumpi se, ut iniustam causam iuent, sinunt, aut his, qui donare nequeunt, iustitiam denegant. Obiectum hoc fuit Petro Schumachero, Greiffenfeldii comiti, ministrissimo Danico, in sententia, qua ad mortem damnatus est, quod scilicet contra iusiurandum praestitum et contra officium summi Cancellarii magnas pecuniae summas et dona ingentia iustitiae faciendae causa acceperit, saepe etiam iis, qui donare nollent, aut non possent, ius reddere uel distulerit, uel plane denegarit. Reperies hoc in *du Mont Memoires politiques pour seruir à la parfaite intelligence de l'histoire de la paix de Ryswic, tom. 4. p. 171.* Non minus est delictum eorum, qui fiscum administrant, atque a creditoribus fisci denegatione solutionis munera insignia uel contractus sibi proficuos extorquent. Sic Icti Helmstadienses mense Ianuar. anni *MDCCXIX* responderunt: *Es geben der beyden Caniniorum, Vaters und Sohns, Anzeige*

Anzeige nebst den Umständen deutlich genug, daß Armandus, um eine ansehnliche Discretion zu erzwingen, die Zahlung aufgehalten, und dadurch den Credit seiner hohen Herrschafft nicht wenig geschmälert. Simile fuit Fuqueti, ministri Gallici, crimen, cui in *tom. 2 du Recueil des Defenses de Mr. Fouquet p. 5.* obiicitur, quod a conductoribus ceterisque, qui cum fisco contraxerant, dona et annuas pensiones acceperit, melioresque illis, quam fisco profuerat, conditiones dederit.

XXX

Ab extero principe, cum quo minister sui principis nomine negotium gessit, munera, perfecto negotio, accipere permittimus. Sunt uero aliqui casus, quibus dona capere ab extero principe crimen erit. Primus est, quum negotium adhuc geritur. Hoc quippe nondum confecto, minister sine suspitione corruptionis nihil capere potest. Deinde princeps aliquando edicit, ne legati legatorumue comites quamcunque remunerationem sibi obtrudi patiantur. Qui ergo secus fecerit, punietur. Vide exemplum Iacobi Marchisetti in *Iani Nicii Erythraei Pinacotheca P. 1. pag. 129.* Tum sine dubio crimen est, muneribus corrumpi, ut principis tui secreta exteris aperias, uel consilium, quale hi uoluerint, suggeras. Porro pensionem annuam ab extero principe recipere, non licet, quocunque etiam titulo ista pensio recipiatur. Nam cui quotannis certa pecunia penditur, is obnoxius est ei, a quo beneficio istiusmodi ornatur, duplicemque adeo dominum habet. Et funestos fuisse istiusmodi pensionum effectus, ex historiis discimus. Narrat *Plutarchus in Aemilio*, Philippum, Macedonum regem, beneficiarios tales per totam Graeciam habuisse, illorumque opera ciuitates omnes in ditionem suam rede-

degisse, atque ideo uulgo dici consueuisse; non Philip-
pum, sed Philippi aurum Graeciam subegisse. Memo-
rat *idem*, Persarum reges talibus stipendiis diu belli im-
petum ab Asia sua auertisse. Itaque prudentissime Ve-
neterum leges, pensiones eiusmodi accipere, ciuibus su-
is seuerissime interdunt. Tandem sicut ex Vlpiani sen-
tentia in *L. 1 §. 5 de Extraordinariis cognitionibus* quae-
dam, tametsi honeste accipiantur, inhoneste tamen pe-
tuntur, ita et minister principis contra leges decori pec-
cabit, qui ab externo principe, in cuius aula negotium
gessit, discedens munus sibi exposcit. Quodsi uero, ut
remunerationem obtineat, etiam fraudibus et falsis utitur,
principi suo iustissime poenas dat. Non diu est, quod
ob hanc causam ICri Helmstadienses ministro principis
poenam imposuerunt. Miserat eum princeps ad duos
alios uicinos principes, ut ortam inter eos litem sopiret.
Nec infelix fuerat opera eius, sed composuerat ille con-
trouersias. Abeunti ergo offert alter ex litigantibus
principibus centum numos aureos. Accipit hos mini-
ster gratiasque agit, sed testificationem scriptam simul
flagitat, qua, ducenta sibi fuisse donata, contineatur.
Quum haec ipsi lubenter daretur, ad alterum principem
profectus inter familiares sermones munificentiam eius,
a quo ueniebat, laudat, scriptum istud exhibet, atque,
excitata per hunc dolum aemulatione, ducenta extor-
quet. Similis fuit fraus Francisci Aersens, Belgici in
Gallia legati, qui discessum simulando insigne donum a
regina Galliarum elicuit. Vide *Louis Aubery Memoi-
res pour seruir à l'histoire de Hollande et des autres prouin-
ces unies* pag. 319.

XXXI.

Solet ministris, qui ad expedienda negotia dominica
domo abesse coguntur, certa in singulos dies pensio pro
uictu

uictu ceterisque necessariis assignari, quam communiter Diäten-Gelder uocant. Sepe uero is, ad quem, uel cuius gratia mittuntur, omnem hunc sumptum sponte suppeditat. Improbe tunc profecto facit minister, qui utrumque accipere non erubescit, et merito ad alterutrum restituendum compellitur. Rationi enim conueniens est, quod in §. 6 *I. de Legatis* traditur, *duas lucratiuas causas in eundem hominem et eandem rem concurrere non posse.* Atque sic Icti Helmstadiensis mense Ianuario anni MDIOCCXIX responderunt: Dieweil nicht verantwortlich ist, von zweyen Orten zu einer Zeit ansehnliche Diäten-Gelder zu heben; So halten wir dafür, daß Armandus das Quantum der von dem Herzog zu Menland empfangenen Diäten-Gelder eyndlich anzeigen, und die zu eben der Zeit von seiner gnädigsten Herrschaft gehobene Diäten-Gelder der Cammer restituiren müsse.

XXXII.

Improba aliorum consilia et facinora ministro imputari nequeunt. Tunc tamen imputantur, quum ipse lucrum ex iis capiendo in societatem eorum uenit. Solent enim interdum ministri ceteri, illicitum quid facturi, cum praecipuo ministro, ut indulgentia et auctoritate eius tutiores sint, lucrum communicare, exemplo falsariorum istorum apud *Valerium Maximum lib. 9 cap. 4 §. 7*, qui falsi, quod subiecerant, testamenti confirmandi gratia potentissimos ciuitatis uiros, Crassum & Hortensium, heredes inseruerunt. Approbat autem delictum, quisquis oblatum sibi ex eo lucrum accipit. Vide *L. 1 §. 14 de Vi et de ui arm.* Sic Icti Helmstadiensis mense Ianuario anni MDIOCCXIX responderunt: Ob wohl die Wegnehmung des Bürgerholzes von andern angerathen

gerathen worden; Alldieweil aber eine offenbare aus blooßem Privat-Nutzen entsprossene und einem Praesidenten der Iustiz-Sachen höchst unanständige Ungerechtigkeit ist, daß er die, wenn gleich von andern in Vorschlag gebrachte, Begnehmung und Austheilung des Bürgerholzes, auch Huth und Trifft gebilliget, indem er so gar selbst einen Theil davon angenommen, und dadurch seiner hohen Herrschafft den Haß der Bürgerschaft und das daraus entstandene grosse Unheil und mercklichen Schaden auf den Hals gezogen; So wird er ic.

XXXIII

Coercenda quoque est impudentia ministrorum nonnullorum, qui importunis flagitationibus bonorumque petitionibus principem exspoliare, diuitias cumulare et praedia multa acquirere non erubescunt. Nihil profecto est putidius. Attamen uidemus, qui hac uia ad maximam opulentiam peruenerunt. Et leges quidem non desunt, quae istud auaritiae genus refrenent poenisque prosequantur. Vide modo *titulum C. de Petitionibus bonorum sublati*. Verum rarus est istarum legum in foro usus. Debebant tamen eatenus exerceri, ut, si manifestis indiciis appareret, principem non sponte, nec singularibus alicuius benemeritis motum, sed multis flagitationibus fatigatum donasse, istiusmodi donationes reuocarentur. Extendimus hoc etiam ad uenditiones simulatas. Solet quippe haec calliditas multorum esse, ut emptionem praetexant acquisitionibus suis ex liberalitate profectis, rati, possessionem suam hoc modo securiorem futuram. Quin imo uerae etiam coemptiones praediorum dominicorum ministrum dedecent. Vitiatio uertitur tutoribus in *Nov. 72 pr. et cap. 5*, bona et iura pupillo-

pupillorum suorum comparare. Idem ergo improbandum est in ministro, qui augere fiscum et patrimonium principis, non imminuere debebat. Sic ergo responderunt Icti Helmstadienses mense Ianuario anni cio io cc xix: Ob wohl ein richtiger Kauff über die Messallischen Höfe vorgegangen seyn soll; Alldieweil aber dem Armando, als vornehmstem Etats-Minister, obgelegen, das hochfürstliche Domanium und die Cammer-Reuenuen in ihrer Integritet zu erhalten, und deren Veräußerung zu verhüten, nicht aber davon selbst Stücken abzureißen und an sich zu bringen; So muß Armandus die Messallische Höfe gegen Zurückempfangung dessen, was er wirklich dafür ausgezahlt zu haben beybringen kan, wieder abtreten. Nec aliud de conductionibus dicendum. Memorandus hic est Iacobus Cor, quaestor Caroli VII, Galliarum regis, cui inter alia obiciebatur, quod, quum reditus regio tanquam inspector locare aliis debuisset, ipse eos per plurimos annos exigua mercede conduxisset. Qua de re uide *L' bistoire des plus illustres fauoris tom 2. pag. 244.*

XXXIV

Quidam uero ministri callidiores non aperte quidem et suo nomine, sed per suppositas personas, istiusmodi contractus celebrant, ita tamen, ut ad ipsos omne uel potissimum emolumentum redundet. Pessime. Detexit iam hanc fraudem et improbavit Hermogenianus in *L. 46. §. 2. de iure fisci*. Et damnatus propter illam est Fuquetus, Ludouici XIV Galliarum regis minister, cui in *tomo 2. du Recueil des Defenses de Mr. Fouquet p. 5.* obicitur, quod ipse, subiectis aliorum nominibus, conductiones et contractus inierit, atque exigua pecunia iura et bona regis adquisierit.

XXXV

Iustissime in *Nouella 72 cap. 5*, tutoribus curatoribusque omnibus interdicitur, ea, quae pupilli et minores sui aliis debent, per cessiones adquirere. Eadem prohibendi ratio in ministris quoque principum est. Nam et illi, maxime qui fiscum administrant, quum fiski debita per cessiones in se transferunt, fraudare illum facillime possunt. Consideremus saltem artes, quibus modo memoratus Fuquetus usus est. Is debita fiski praescriptione extincta uel alias inualida uili pretio comparauit, deinde uero a fisco solidum exegit, subtractis, quae sibi nocere poterant, documentis, et dissimulata ueritate. Copiosius haec exposuit Talon, aduocatus regis, in scripto, quod in *tomo 3. du Recueil des Defenses de Mr. Fouquet p. 220.* reperitur. Non dubitamus itaque, prohibitionem *Nouellae 72.* ad fiski administratores ceterosque publicarum rerum curatores extendere, idque argumento ultimorum supra memorati *§. 5.* uerborum, inprimis autem *L. 34. §. ult. de Contrab. empr.*

XXXVI

Inter crimina ministrorum principis *Fritschius in Ministro peccante concl. 26.* immodicam sportularum exactiorem refert, quam et Iustinianus non uno in loco, maxime uero in *Nouella 124 cap. 3*, damnat. Sic igitur *ICti Helmstadienses* mense Ianuario anni *CIO IO CC XIX* responderunt: *Diueil das Ambt Sommerhausen, nachdem es an Mantua gekommen, den Mantuanischen Gesetzen und Tax-Ordnung unterworfen worden, folglich Armandus zur Ungebühr und aus bloßem Eigennuz die höhere Venetianische Tax-Ordnung beybehalten; So muß er zuseherst die aus dem Amte Sommerhausen zuviel gehobene Sporteln herausgeben ic.*

XXXVII

XXXVII

Ad delicta, quae ex auaritia profiscuntur, sine dubio etiam refertur uenditio munerum publicorum. Damnat eam Iustinianus in *Novella 8*. Sed multi iam ante nos de exiguo istius Nouellae usu conquesti sunt. Fuerunt, et sunt adhuc aulae, palatio Galbae Imperatoris similes, in quo secundum *Tacitum bistor. lib. 1 cap. 7* uenalia cuncta adferebant praepotentes liberti. Inuenit semper imitatores Sebastianus, praecipuus Zenonis minister, qui in regia nihil quidquam sine pretio sinebat confici, atque magistratus uendebat omnes, pretium partim sibi reseruans, partim cum imperatore diuidens, et, si quis accessisset, qui paululum quidquam adiiceret, eum praeferebat. Vide *Baron. Annal. Tom. 6 ad annum Christi 485*. Non tamen impunitum semper manere hoc crimen, uel Petri Schumacheri, Greiffenfeldii comitis, ministrissimi Danici, exemplum docebit, qui ob id ad ultimum supplicium damnatus est. Vide sententiam contra eum latam apud *du Mont in Memoires politiques pour servir à la parfaite intelligence de l'histoire de la paix de Ryswic tom 4 p. 171, 172*, ex quo libro supplenda est mutila illa *Pufendorffii in Rebus Brandenburgicis lib. 14 cap. 35* de Greiffenfeldii casu relatio.

XXXVIII

In hunc tamen censum non ueniunt ministri, qui ab ipso principe ad hoc constituuntur, ut munera publica uendant et pecuniam ex hoc commercio redactam in fiscum inferant. Indecora quidem istiusmodi negotiatio est, iure diuino tamen non prohibetur. Ergo a principe iussus minister illam impune exercet. Non putamus itaque, peccasse ministros, quos Ioannes XXIII Pontifex Romanus huic mercaturae praefecit. Is scilicet,

ut uerbis accusatorum eius in articulo 21 et 23 utamur, certos referendarios ac cubicularios ac secretarios creauit, fecit et ordinauit mediatores, proxenetas ac procuratores, grossarum et pinguium simoniarum, ecclesiarum cathedralium, abbatiorum, monasteriorum, prioratuum et beneficiorum uacantium reseruatorum, idem ultra supra memoratos certos in Romana curia mercatores deputauit, qui beneficia uacantia curiae tribus uel pluribus diebus ad libram ponderarent, et plus offerentis supplicationem reciperent et signari facerent. Vide *Hermanni von der Hardt Res magni Concilii Constantiensis Tom. 4 P. 3 pag. 199.* Notissima quoque est in Gallia publica officiorum uenditio, quam, secundum *Loyseau du droit des offices lib. 3. cap. 1. n. 97,* Ludouicus XII rex instituit, item pensio annua a iustitiae et reddituum publicorum administris pro libera de officiis suis statuendi eaque in heredes transmittendi facultate pendenda, quae ius poletanum, *la paulette*, communiter dicitur a Carolo Pauleto, camerae regiae secretario, et primo eius redditus conductore. Damnant quidem cordatiores Galli, *Tbuanus lib. 132 histor. ad annum MDIO CIV,* et *Bret de la souveraineté du Roy lib. 2 cap. 5 p. 187,* hoc institutum, et uaria, quae ex illo oriuntur, mala grauius describunt. Inprimis *Mezeræus in historia Henrici IV:* *Pauletta, inquit,* uenalitatem munerum publicorum necessario perpetuat, liberosque ministrorum indoctos, iniquos et superbos reddit, securos quippe de consequendis aliquando parentum honoribus, uiamque ad dignitates uiris bene meritis et honesto loco natis praecludit. Quidquid uero eius sit, non peccabit minister, qui huic iuri regio exercendo sese praeferri patitur.

XXXIX.

Peccant porro ministri, pecuniam principis suae fidei et administrationi commissam in proprios usus conuertentes.

uertentes, dum scilicet eam in dissolutionem sui aeris alieni, in emtionem praediorum, in negotiationem impendunt. Nec iuuantur excusatione, quam communiter praetexunt, pecuniam illam iacuisse otiosam, seque et animum et facultatem restituendi habuisse. Ex principis enim uoluntate istiusmodi pecunia publicis usibus destinata est. Ergo minister, qui aliter illam consumit, eandem contra uoluntatem domini contrectat, furtumque eo ipso committit. Animus uero restituendi furem a peccato non liberat. Multa quoque, ut fit in rebus humanis, interuenire possunt, quae restitutionem istam impediunt uel difficilem reddant. Consentiunt hac in parte Romana iura in *L. 38 de Negotiis gestis, L. 1 L. 2 §. 4 de Admin. rerum ad ciu. pert.* ibi: *licet ex bona fide datum probatur, L. 4 §. 3 Ad L. Iul. peculatus.* Atque sic responderunt ICti Helmstadienses mense Iunio anni MDCCXIII: Es kan der Hoffrath Wilhelmus nicht läugnen, daß er darinnen wieder seine Pflicht und Bestallung gehandelt, daß er die ihm anvertrauete Königl. Cassen - Gelder zu Bezahlung seiner Schulden angegriffen. Und ob er wohl, dasselbe nicht betrüglicher Weise, sondern aus dringender Noth und animo restituendi gethan zu haben, vorgiebt, so bleibet nichts destoweniger, wenn solches gleich alles zugestanden wird, ein illicitum und straffwürdiges factum übrig. Quin imo ius Saxonicum electoriae laquei etiam poenam in istiusmodi administratores statuit. Vide Bergerum in *Electis Iurisprudentiae criminalis p. 50.*

XL

Progredimur ad ambitionem, quae plurimos quoque principum ministros evertit. Equidem ambitio in se nihil illiciti habet, pura scilicet illa et honesta, quae id tantum

tantum quaerit, ut amorem sibi & existimationem apud alios conciliet. Intra hos limites coercita ambitio tantum abest, ut reipublicae et principi noceat, ut magis fructuosa utrique sit et iucunda. At quando illa modum excedit, nullum est profecto in rerum natura uitium, quod generi humano maiores calamitates attulerit. Operae igitur pretium est, diuersa delicta considerare, quae a ministris per ambitionem immodicam committuntur.

XLI.

Leuius forte inter illa uidebitur laudatio propria, et ostentatio uirtutum atque meritorum suorum. Putidissima tamen ea est, et ministro principis inprimis nocet. Nam, ut recte ait *Terentius in Andria act. 1 sc. 1*, isthaec commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficii. Non potest ergo non molestiam principi adferre animumque eius offendere. Memorat *Tacitus Annali 4 cap. 29*, *Serenum* deportatum fuisse, quod missis ad *Tiberium Caesarem* literis exprobrasset, suum tantum studium sine fructu fuisse, addidissetque quaedam contumacius, quam tutum apud aures superbas et offensionem proniores. Secundum eundem *Tacitum histor. lib. 4 cap. 8*, *Antonius Primus*, optime de *Vespasiano* meritis, gratia principis excidit, nimis commemorandis, quae meruisset. Inprimis uero hic ex *Flauii Iosephi Antiquitatibus Iudaicis lib. 9 cap. 7* meretur referri *Silae* exemplum. Is militiae sub *Agrippa* rege magister, quia per omnem fortunam ei fidus nullius unquam periculi socius esse detrectauerat, sed difficillimos labores saepe pro eo susceperat, fretus amicitia, liberius agebat cum rege et in familiaribus colloquiis molestus erat interdum, extollens se immodice subinde prioris fortunae aduersitates commemorans, ut, quam studiosus regis fuisset, ostentaret. Semper labores

res in regis gratiam exhaustos iactabat, et, quum sine modo hoc repeteret, exprobrare uidebatur, ita, ut rex tandem immodica hominis libertate offensus praefecturam illi adimeret et in uinculis eum contineret. Lenita vero post aliquod tempus ira rex et reputatis eiusdem meritis, die natali suo, quum omnes hilaritate inter epulas exsultarent, Silam accersiri et ad conuiuium inuitari iubet. At ille ingenuus et dissimulandi ignarus uocantibus respondet: Quem mihi, inquit, honorem nunc defert rex, eo deinde me mox iterum exspoliaturus est. Expertus hoc iam semel sum, non sine graui contumelia mea. Errat vero, si linguam mihi impostorum minus liberam futuram putat. Imo meritorum meorum conscius uociferari non desinam, e quantis regem eripuerim calamitatibus, quot labores tulerim, ut incolumitatem illi et honores pararem, quorum officiorum praemium uincula et obscurum carcerem tuli. Non obliuiscar haec unquam, sed inter manes etiam narrabo. Ite et referte haec regi uestro. At rex, immedicabilem hominis arrogantiam uidens, in uinculis illum reliquit. Prudentius longe Seianus apud *Velleium Paterculum Histor. lib. 2 cap. 127.* sub initio ministerii sui actu otiosis simillimus nihil sibi uindicabat, eoque adsequebatur omnia, et semper infra aliorum aestimationes se metiebatur, uultu uitaque tranquillius, animo exsomnia.

XLII

Sed ista quidem ambitio, quae intra uerba subsistit, facilius toleratur. Grauior est, quae in facta erumpit. Multi scilicet non tam reipublicae et principi, quam gloriae suae seruiunt, maiorque apud illos, ut *Iuuenalis Satyr. 10 uersu 140* loquitur, famae sitis est, quam uirtutis. Ex his nonnulli, ut, quam tantopere adpetunt, gloriam adipi-

adipiscantur, rempublicam periculis inuoluere non dubitant, Lucullum imitantes, quem tribuni plebis apud *Plutarchum in Lucullo* imperii et opum cupidum bella ferere ex bellis, ut publico periculo priuatis libidinibus satisfaciat, queruntur. Qui Armandi Richelii, purpuratorum sub Ludouico XIII Gallorum rege principis, artes et secretiora consilia descripserunt, obseruant, illum propterea varias in regno et extra illud turbas excitasse, ut deinde in illis sopiendis prudentiam suam ostenderet, et per hoc gloriam atque potentiam suam augeret. Quin imo secundum *Baylium in Dictionario art. Fontarobie lit. D.* quum regis amicitiam erga se retrixisse animaduerneret, ac ideo ex aula discessisset, Grammondo, exercitus Gallici duci, familiari suo praecepit, ut proelio se superari ab hostibus pateretur. Quae res regem, qui omnia amoto Richelio in peius ruere uidebat, ad eum reuocandum coegit. Fuere duces bellici, qui occasione sibi oblata hostilem exercitum ad internecionem delendi uti noluerunt, ne, extirpato hoste, imperium depocere necessum haberent, et uberem gloriae colligendae messem amitterent. Fecisse hoc Bironium, Galliae marchallum, *Brantomius in Vitis uirorum illustrium tom. 3 p. 386* narrat. Simile exemplum memorat *Traianus Boccalini in Relationibus ex Parnasso Centur. 2 cap. 24.*

XLIII

Tenet aliquos insatiabilis regnandi cupido. Quam ut expleant, nihil intentatum relinquunt. Inter ceteras uero, quibus utuntur, artes pessima fere est, principem ipsum corrumpere, uoluptatibus immergere atque cognitione scientiarum necessariarum statusque publici prohibere, quo ille necessum habeat, administrationem rerum suarum ministro illi unice permittere. Ex
uariis,

uarius, quae in historiis passim occurrunt, exemplis duo memorabimus, alterum Perennis, qui, teste *Lampridio in Commodo Antonino cap. 5*, Commodi persciens ei persuasit, ut ipse deliciis uacaret, atque Perennem curis incumbere sineret, quod Commodus laetanter accipiens nunquam facile in publicum processit, neque quidquam sibi nunciari passus est, nisi, quod Perennis ante tractasset; alterum Thomae Wolsaei, qui secundum auctorem *de l'histoire des plus illustres fauoris tom. 2 pag. 291*, quum Henricus IIX admodum iuuenis ad regnum Angliae eueheretur, maximam apud eum sibi conciliauit auctoritatem, mollem illi iucundamque uitam praecipiendo. Quum enim ceteri proceres regi suaderent, ut ipse consiliis adlisteret et res suas inspiceret, Wolseus solus resistit: Anni tui, inquit, rex, molestissimis his laboribus impares sunt. Singulis aetatibus sua studia conueniunt. Iuuenem senum mores imitari, absonum est. Gere itaque animo tuo morem. Venationes te uoluptatesque decent ac iuuant. Inter has uero unum adhibe ministrum, cui auscultando unam quotidie uespertinam horam impendas. Facilius hoc modo negotia publica cognoscas, quam infinito multorum annorum labore et solitudine. Mirifice haec placuerunt regi, in uoluptates istas per se propenso. Ex eo igitur tempore tanto Wolseum amore complexus est, ut eum ceteris omnibus, quos huc usque eodem loco habuerat, praeferret, toti regno praeficeret, per eum solum cum ciuibus ageret et desideria eorum audiret.

XLIV

His uero impudentiores sunt, qui primum semel locum adepti inuito principe atque ingratis se in illotuentur, solique omnia, excluso fere principe, gubernant,

O

Com-

Commendorigi isti similes, de quo *Barclaius in Argenti-
de lib. 4 cap. 12.* Fecerunt hoc in uetere regno Franci-
co maiores domus, quorum potestas ab initio tam mo-
dica erat, ut Gundegesilus, maior domus, apud *Grego-
rium Turonensem lib. 6 hist. cap. 9* episcopatum Cenoma-
norum suae dignitati anteferre non dubitarit, deinde ue-
ro in immensum creuit, ut reges ipsos per multos annos a
rerum administratione excluderet, tandem etiam de so-
lio deturbaret, magno principibus documento, ne, quod
prudenter monuit Aristoteles, quemquam praeter iu-
stam mensuram faciant magnum. Vide *Hertii Notitiam
regni Francorum ueteris c. 4 §. 4.* In Iaponiae regno ea-
dem fere fabula acta, et uerus princeps, quem Dairum
uocabant, a duce bellico in eas angustias redactus est,
ut, seruata tantum dignitate externoque splendore, po-
tentiam ipsam et uim imperii ab hoc exerceri pateretur.
Arn. Montanus in Descript. Legat. Iapon. Quae regiminis
forma adhuc in ista insula seruatur. Anraeo, Gallia-
rum sub Ludouico XIII administro, nihil magis perni-
ciem maturauit, quam quod potentiae exercendae im-
modice cupidus regem ipsum tanquam captiuum deti-
neret, nec ad uillas suas pro lubitu ire sineret, omnesque
suspectos aditu eius arceret. Vide *l' bistoire des plus il-
lustres fauoris tom. 3 pag. 131.*

XLV

Vetita quoque in ministro ambitio est, insignibus ho-
norum splendidaque uiuendi ratione principem su-
perare uel saltem aequare. Imminuit scilicet hoc exi-
stimationem principis apud ciues, quum uident, priua-
tos cum illis aequalia ornamenta gerere. Et uulgus,
quod signis his externis mire capitur, negligit saepe prin-
cipem, magisque illum ueneratur et amat, quem splen-
descen-

descendentem et excultum magis uidet. Non iniuste ergo Theodosius Imperator in *L. 4 C. de Vestibus holoberis* laesae maiestatis reos facit, qui uestibus, soli principi destinatis, utuntur. Et Iustinianus in *Nouella 105 cap. 2 §. 1*, aurum spargere soli imperio uindicat consulesque uetat. Perdidit uana ista arrogantia quam plurimos ministros. Philotas, Alexandri M. familiarissimus, ab eo deinde misere necatus, teste *Plutarcho in Alexandro M.* superbia, diuitiis, corporis ornatu, et uitae supra priuatorum morem institutis odiosius utebatur; et fastu hoc magnam suspicionem inuidiamque, qua deinde periit, contraherebat. Quin ipse pater Parmenio illi aliquando dixisse fertur: Per Deos, fili, fac, ut paullo minor uidearis. Seianum nulla magis res euertit, quam, quod pares cum Tiberio honores sumeret. Qua de re uide *Dionem lib. 58*. Satellitio ille ac comitatu maiore et splendidiore, quam Caesar ipse, utebatur. Idem Ancraeo aliisque uittio datum est, quod multitudine stipatorum et clientum in ipsa regis aula solitudinem facerent. De Guisio *Branzomius in Vitis uirorum illustrium tom. 3 pag. 77*: Omnes, ait, ille aulicos sibi deuotos habebat, uidique eum pedibus religionis causa Clericum euntem totam fere aulam secum trahere, ut rex tantum non solus relinqueretur. Quae res et murmur excitauit ingens et inuidiam Guisio peperit. Inter cetera accusationis capita, ob quae Wolseus Henrici IX Angliae regis minister damnatus fuit, hoc quoque est, quod in literis suis suum nomen regio raeposuerit, hac formula semper usus: Ego et rex meus. Vide *l'histoire des fauoris Tom. 2 p. 320*. Adde *Huberi Historiam Ciuilem P. 2 lib. 1 sect. 4 cap. 12*, qui uerba haec numis etiam ab illo inscripta perhibet.

XLVI

Sed horum quidem hominum imprudentior arrogantia est. Subtilius alii, dum externa honorum insignia contemnunt, tecte ad supremam potestatem grassantur, atque omnes sibi ministros ceteros obnoxios reddunt, dignitates suis tantum clientibus impertiuntur, et, quotquot partes suas amplecti recusant, honoribus muneribusque spoliunt. Improbum hoc est. Regnum quippe quasi in regno stabilitur, et auctoritas principis per potentiam ministri nimiam deprimitur. Hoc Schwarzenbergio, primo Georgii Wilhelmi Principis electoris Brandenburgici ministro, apud *Pufendorfium de Rebus gestis Friderici Wilhelmi Magni lib. 1 cap. 3* obiiciebatur, quod ueteres ministros, suis consiliis aduersos, muneribus demouisset, aliosque, qui placitis suis succinerent, subrogasset. Wallensteinium, quo maiorem et potentiorum militum ducem Germania non uidit, hoc ambitionis genus suspectum primo apud Caesarem fecit, ac deinde prorsus perdidit. Abutebatur scilicet concessa sibi ab Imperatore suprema potestate ad hoc, ut munera militaria pro lubitu inter amicos fidelesque suos distribueret, et redditos sibi iam hoc modo satis obnoxios etiam chirographo ad partes suas constanter tuendas obligaret. Vide *Mortem Wallensteinii Italico sermone descriptam a Io. Francisco Loredano p. 247*, et *Theatrum Europaeum P. 3 pag. 161 sq.* Fuquetus, Ludouici XIV Galliarum regis minister, omnes, quotquot dignitate, uirtute, ingenio excellebant, beneficiis sibi et annuis stipendiis deuinxit, sed hoc ipso offensam et suspensionem apud dominum incurrit et calamitatis suae auctor fuit. Pessumdedit ergo illum, ut *Priolus de Rebus Gallicis lib. 12 cap. 1* loquitur, auiditas aeris non retinendi, sed donandi. Sed inprimis ei nocuit, quod nonnullos sibi, acceptis
ab

ab iis chirographis, ad obsequium omnibus in rebus et contra omnes sine discrimine praestandum obligasset. Duo ex istis chirographis reperiuntur in *tomos 3 du Recueil des Defenses des Mr. Fouquet p. 299 et 305.* Prius a Delandes quodam his uerbis conceptum est: *Je promets et donne ma foy à Monseigneur le Surintendant des finances de France, de n'estre jamais à autre personne, qu'à luy, auquel je me donne et m'attache du dernier attachement, que je puis avoir, et lui promets de le servir generalement contre toutes sortes de personnes sans exception, et de n'obeir à personne qu'à luy, et même de n'avoir aucun commerce avec ceux, qu'il me defendra, et de luy rendre la place de Concarneau toutes les fois qu'il me l'ordonnera, ou à telle autre personne qu'il luy plaira de quelque qualité et condition, qu'il puisse estre, sans en excepter dans le monde un seul.* Alterum Maridorii, praesidis, talia promissa continet: *Je promets à Monseigneur le Procureur General, quoyqu'il en puisse arriver, de demeurer en tout tems parfaitement attaché à ses interets et sans aucune reserve ny distinction de personnes, de quelque qualité qu'elles puissent estre, estant dans la resolution d'executer aveuglement ses ordres dans toutes les affaires, qui se presenteront et le concerneront.* Non poterat ipse daemon, si uera sunt, quae perhibent uulgo, firmiorem obligationis formulam his, cum quibus foedus iniri, praescribere.

XLVII

Proximum huic crimen est eorum, qui liberis suis et propinquis fere solis munera et officia publica committunt, totamque quasi aulam et prouinciam sua familia inundant. Nepotismum hoc uocant Itali. Nos equidem studium, familiam suam dignitatibus opibusque exornandi, prorsus non damnamus, quum natura-

lis hominum in id propensio sit, nec lex ulla, quae hoc uetet, exstet. Quin *Io. Palatius in Gestis Pontificum Romanorum* hos, qui Nepotismum exercent, Christo similes esse dicit, qui proximos secundum carnem sacerdotio ornauerit et Euangelium docere iusserit. Illos tantum reprehendimus, qui propinquos suos sine discrimine, digne illi sint, an indigni, ad supremos honores euehunt, qui his solis exercitus, aerarium, tribunalia credunt, qui iuuenes et inexercitados difficillimis muneribus cum periculo reipublicae praeficiunt, qui, ut suis aditum aperiant, bene meritos amouent, uel tamen postponunt. In hoc Perennis peccauit, princeps purpuratorum sub Commodio Imperatore. Is nempe secundum *Herodianum lib. 1 cap. 9* sublati e medio, quos Caesar uerebatur, quique illum paterno quodam affectu complectebantur, nihil non auctoritatis adeptus liberos suos adolescentes adhuc exercitibus praefecit, et, ut *Lampri- dius in Commodio Antonino cap. 6* memorat, res per alios duces bene gestas in illos retulit.

XLIIX

Grauitate et illi ministri peccant, qui parem et confortem in ministerio ferre nequeunt, sed, ut ipsi soli regnent, uariis artibus ueteres et fidos principis amicos et ministros tollunt, amouent, perdunt, alios suspectos apud principem reddendo, alios aperte accusando, alios infinitis molestiis ad abdicationem compellendo, alios per speciem honoris uel legationis remouendo, cetera. Exemplo erit Eutropius, primus Arcadii Caesaris post necem Rufini minister, cuius in submo- uendis ceteris, qui momenti alicuius essent, ministris artes describit *Zosimus historiae Romanae lib. 5*. Maior adhuc inuidia fuit Petri Schumacheri, Greiffenfeldii co-
mitis,

mitis, ministrissimi Danici, de quo *Pufendorffius Rerum Brandenburgicarum lib. 14 c. 35.* Abnui, ait, non potest, quin ad eius viri ruinam plurimum contulerint inuidorum artes, quorum magnum numerum sibi attraxerat eiusdem insolentia ac animus tam subita fortunae incrementa parum reuerenter habens, et, quod eousque regem solus possidere cuperet, ut alium quempiam cum eo familiarius colloqui tolerare non posset. Idem *Pufendorffius Rerum Brandenb. lib. 5 §. 35,* de Ferdinando III Caesare: In eiusdem, inquit, gratia primum tenebat locum Ioannes Weicardus, Princeps Aurspergius, quem tueri hic omni arte studebat. Quum antea Caesar insignem erga Lesloeum Comitem fauorem ostenderet, et Aurspergius metuere inciperet, ne iste suis luminibus officeret, primo uariis eundem criminationibus euertere conatus est, ac, quum id frustra esset, gubernationem Croatiae, lucrosissimum inter Caesareas prouincias munus, obtulit. Quo idem motus aulam, ac supremi in principis gratia gradus spem abdicare inuidiaeque cedere constituit. Exinde sollicitum Aurspergio studium fuit, haud permittere, ut quispiam in gratia Caesarea longius progrediretur, quam sibi expedire uideretur. Quo fine officia aulica ita disposuerat, ut proceres nonnisi iunctim et certis horis in aula adparescerent, quo mutuo sibi obstarent, ac nemo Caesaris colloquio diu frui posset. Reliquo tempore Caesarem non nisi inferioris sortis famulitium circumstabat. Maxima pars temporis in gynecaeo exigebatur, quo aulicis nobilibus haud liber accessus est: queis et feminas ibi inuisere aut alloqui non licet, nisi ubi aulica ministeria sunt obeunda, et pluribus simul praesentibus. Sed Aurspergio, uelut supremo aulae praefecto, liber ubique accessus patebat, cui et feminas omni modo colere, conuiujs excipere, muneribus deuincire, non minus atque illos, qui priuata circa Caesarem ministeria obibant, instrumentum seruandae potentiae habebatur. Vbi animaduerneret, a Caesare uirum quem-

p.am

piam meritis insignem aestimari, anxie oculos in eum conuertere sueuerat, subornatis etiam e uulgari famulitio obseruatoribus. Tum et eiusdem promotioni atque commodis studere, sed, ut occasio non foret, saepius et familiarius ad Caesarem accedendi. Ast ubi idem altius in Caesaris gratiam penetrare institueret, intentato crimine ut fortunis euerteretur, opera sumebatur. Vnde prudentibus eius aulae constabat, quousque circa ambiendam Caesaris beneuolentiam progredi tuto possent.

XLIX.

Nec excusanda est illorum arrogantia, qui collegii alicuius praesides a principe facti auctoritatem suam eousque extendunt, ut, neglectis collegarum suffragiis et consiliis, omnia ex suo arbitrio statuunt. Nulla est regiminis forma principi et reipublicae salubrior, quam, si diuersa instituantur collegia et administratio negotiorum per eadem distribuatur, ut scilicet aliud militaria, aliud rem iudiciariam, aliud pecuniariam, aliud sacra, aliud negotia cum exteris, et sic porro, gubernent. Multo integrius sic expedientur cuncta, quam, si ex unius uel paucorum arbitrio pendeant. Agnouit hoc iam olim rex sapientissimus, Salomon, *Prouerb. XI, 14.* Penuria, inquit, consilii perdit populum, sed, ubi consilia multa, ibi salus. Quod monitum prudentissime nuper exsecutus est dux Aurelianensis, regis Galliarum Ludouici XV tutor, atque, instituta hac regiminis forma, regnum, quod debilitatum et languidum decessor reliquerat, florentissimum effecit. Fuerunt quidem, qui, ut cetera eius laudabilia instituta, sic hoc etiam improbarent. Quibus tamen copiose et accurate respondit l' *Abé de S. Pierre*, olim academiae Francicae membrum, edito Londini anno 1718 libro, cui ritulus: *Discours sur la*

la Polysynodie, où on démontre, que la Polysynodie, ou pluralité des Conseils, est la forme de Ministère la plus avantageuse pour un Roy et pour son Royaume, in quo ostendit, polysynodiam, sic istam regiminis formam uocat, praefendam longe esse Veziratui, quo nomine ministrissimum appellat, et Semiuziratui, seu ministerio paucorum. In istiusmodi uero collegiis causas, non ex praesidis uoluntate, sed ex suffragiorum numero decidendas esse, ipsa instituti ratio satis ostendit. Nihil quippe tam naturale est, quam, ut id, quod maior pars collegii statuit, pro eo habeatur, ac si omnes egerint. *L. 19. Ad municipalem, L. 36 de Re iudicata.* Quam regulam in supremis etiam collegiis seruandam esse, *Seckendorffius in teutschen Fürsten Staat P. 2 cap. 6 n. 5* ostendit. Adde *Constitutionem Iudicii Aulici tit. 5.* Qui secus agit praeses, et neglecto collegarum plurimorum dissensu ex suo et asectorum suorum uoluntate negotium conficit, iniurius est in collegas, et peccat contra principis uoluntatem, contra bonum publicum et contra ordinem naturalem. Vide *Ziegleri Dicasticen concl. 42 §. 30.* Sunt tamen nonnulli adeo superbi, ut malint ex suo arbitrio male, quam ex aliorum consilio bene rem gerere. Hoc animo fuisse *Lautreccium*, ducatus Mediolanensis pro *Francisco I Galliarum rege* administratorem, memorat *Brantomius in Vitis uirorum illustrium tom. 1 pag. 175.* Consulebat is quidem collegas suos, consilia tamen eorum, etsi optima, si a suis discreparent, non sequebatur; atque hac peruicacia sua prouinciam amisit.

L

Quid faciendum tamen praesidi, qui manifeste uidet, sententiam eam, quam plures tuentur, deteriore et noxiam esse? Num huic saltem dabimus facultatem a

P

regula

regula modo stabilita recedendi? Non dabimus. Nam si dederimus, corruent omnia, quae diximus. Quippe plerisque ex insito ingeniis humanis sui amore opinio sua sic placet, ut eam meliorem prudentioremque ceteris omnibus credant. Igitur nunquam non praeses deteriores dissentientium a se sententiam dicet. Quod ne fiat, persistendum est in eo, quod pluribus placuit. Erit tamen permissum praesidi, rem principi ipsi proponere eiusque decisionem expetere. Quod si is quoque pluribus adsentiat, acquiescendum est, et subscribendum interdum nomen decreto communi. Numquid uero tunc licebit imitari Hospitalium, magnum illum Galliae Cancellarium, qui, testibus *Longueto lib. 2 epist. 62* et *Le Grain Decade d' Henri le grand liv. 8 pag. 898*, decretis istiusmodi nomen quidem subiiciebat, sed uerba, *me non consentiente*, adiciebat? Neque hoc putamus, nisi decretum iuri diuino aduersetur. Nam, ut recte *Plinius lib. 6 ep. 13* ait, *singulos, integra re, dissentire fas est; peracta, quod pluribus placuit, cunctis tuendum.*

LI.

Illud ambitionis genus maxime oderunt principes, quando minister, non contentus his, quibus a domino suo ornatus est, dignitatibus, alias ab exteris principibus oblatas suscipit. Verum hoc crimen est et coercitione dignum. Nam qui semel principi se operasque suas addixit, totus eius est, nec potest se sine illius iniuria obnoxium alii principi facere. Recte igitur Henricus IX Angliae rex inter Wolsey, ministri sui, crimina primo loco posuit, quod is sine uenia regis legati Pontificii ad Anglos dignitatem suscepisset. *L'histoire des plus illustres fauoris tom. 2 pag. 320.* Prudenter quoque Elisabetha, Angliae regina, Nicolaum Clifford et Antonium Sherley,
ex

ex peregrinatione Gallica in patriam reduces atque insignibus equitum S. Michaelis ab Henrico IV Gallo ornatos, carcere, ut se peregrinis honoribus abdicarent, coegit: Bonus, inquiens, ciuis castam uxorem imitetur, atque, ut illa solum maritum suum respicit, solum etiam principem suum obseruet. Nolo quippe, oues meas alienis notis signari, aut fistulam exteri pastoris sequi. Christina quoque Sueciae regina Carolum Gustauum Palatinum, purpuratum suum, oblata aureae periscelidis insignia recipere et Comitem de la Garde imperii Germanici principem fieri noluit. Quae dum narrat *Wiquefortius dans l'Ambassadeur lib. 2 sect. 9*, scite addit: *Ces deux Reines avoient raison d'empescher leurs Sujets de prendre des engagements avec des Puissances etrangeres. Ils ne peuvent partager leur affection ni leur zele, qu' ils n' en derobent autant à leur Souverain, qui en doit estre aussi jaloux, que le mari de l' honneur de sa femme.*

LII

Morum quoque superbia erga ministros ceteros et ciues crimen est, dum scilicet minister eos, qui ipsum conuenire cupiunt, difficulter admittit, admissos superbe excipit et cum despicientia tractat, salutatus salutem non reddit, leuiter peccantes contumeliosissime obiurgat, cetera. Vt uero istiusmodi iniuriosi ministri coërceantur, principis maxime interest, quem populus a ministris offensus tanquam fontem malorum intuetur, et simul cum his odisse incipit. Apposite *Herrius in Elementis prudentiae ciuili P. 2 sect. 4 §. 28*: *Maximo, ait, damno esse solent ministrorum principis iniuriae in subditos. Et haec aegrius tolerantur, quam ipsius principis iniuriae.* Incidit in hoc crimen magnus ille Galliae administer, Annas Montmorencius, quem *Brantomius in Vitis uirorum illustrium tom. 2 p. 72* *truculentum obiurgatorem, grand rabroueur des person-*

nes, uocat, narratque, non dubitasse illum, leuiter saltem offensum, praesides collegiorum regionum et consiliarios, asinos, uerueces, stultos, arrogantes appellare.

LIII

Sed satis de delictis, quae ex ambitione et superbia proficiscuntur. Dicemus et pauca de his, quae ex uoluptatum amore oriuntur. Equidem ministrum omni uoluptatum et deliciarum usu arcere inhumanum foret. Indulgendum ei est laxamentum, ne onere negotiorum oppressus deficiat. Prudentissime Ferdinandus III. *iii. der Reichs Hoffraths Ordnung tit. 1.* Praesidi et adfessoribus illustris huius tribunalis maritatis octo, coelibibus sex quotannis hebdomades, quibus animum recreent, indulget. Ita tamen temperari debet iste uoluptatum usus, ut ne per illum publicis rebus remora aut detrimentum inferatur. Bene *Homerus in Iliade lib. 2 v. 24:* Non debet, ait, noctem integram dormire consiliarius, cui populi commissi et tot curae impositae sunt. Peccat ergo minister, qui intempestiue, dum negotia domini expedienda sunt, in praedia sua excurrit, conuiuuiis interest, somno operam dat. Nunquam obliuiscetur patria nostra clades, quas frequentes pertulit, dum hostis Germanicorum exercituum duces uino, epulis, somno, ueneri intentos et propterea incautos oppressit. Tacemus exempla recentiora, et uetus memorabimus, illud nempe famosum ad Rinfeldam proelium, quo Galli, duce Bernhardo Saxone, anno 1638. exercitum Caesareum integrum fere deleuerunt, et praefectos militum pene omnes inaudita felicitate ceperunt. Causam eius cladis Pappus in *Epitome rerum Germanicarum p. 138* negligentiae, in quam effusi fuerint copiarum Caesarearum duces, imputat. Rem clarius explicat auctor

ctor *des Historischen Bildersaals* P. 4. pag. 655. narratque, duces istos, dum Bernhardus cum Gallis appropinquaret, Rinfeldae genio indulgisse, atque, clade iam accepta copiisque in fugam uersis, sero tandem superuenisse. Hanc et multas similes funestas strages reputantibus saepe in mentem uenit, ducibus bellicis, dum in expeditione uersantur, conuiujs et comotationibus prorsus interdicendum esse.

LIV

Non ferendi quoque sunt delicatuli illi, qui qualibet leui corporis infirmitate tacti omnem confestim negotiorum et muneris sui curam deponunt, nec, nisi post longum tempus, quum recreatos se satis et confirmatam penitus ualerudinem putant, resumunt. Sermo autem nobis est de leui morbo, non de graui et periculoso. Per hunc quippe sine dubio ministro, cum magno licet reipublicae dispendio, ab officii sui exercitio prorsus abstinere licet. Sentit quidem inde damnum princeps, maxime quum praecipuus ministrorum, in cuius administratione totus rerum et negotiorum cardo uertitur, aegrotat. Atque hoc ipsum una ex rationibus est, propter quas *Abbas S. Pierre in Discursu supra memorato de Polysynodia* p. 33 ministrissimum dissuadet, ne scilicet, decumbente ministrissimo, reipublicae gubernatio penitus interquiescat. Sed siue in ministrissimo, siue in alio hoc accadat, casus fortuitus erit, qui nemini imputabitur. At qui quamuis capitis uel thoracis destillationem, nauseam, podagram desidia suae praetexit, audiendus non est. Vide de podagra *L. 13. C. de Decurionibus*. Damnarunt itaque mense Ianuario anni MDCCXIX Icti Helmstadienses ministrum, qui febriculae leui implicitus ad dominum in maximis angustiis constitutum accersitus

certus uenire detrectarat: Es zeigt eine ziemliche Untreue an, daß er unter dem Vorwand einer geringen Unpäßlichkeit sich geweigert, von seinem Guthe zu der gnädigsten Herrschafft, von welcher er doch inständigst verlangt worden, zu reysen, und derselben bey ihrem größtem Bedrängnisse, worinnen Sie der Bürger-Tumult gesetzt, beizustehen, da er doch kurz hierauff und bey noch fortwährendem Tumult im Stande gewesen, eine viel weitere Reyse nach Antiochia zu thun.

LV

Sunt aliqui ministri adeo maleuoli, ut concordiam principis cum fratribus agnatisue ferre nullo modo possint, sed odia inter illos ferere enixe studeant. Stimulat ad hoc nonnullos inuidia, alios ambitio, ut ex ruina propinquorum principis sua auctoritas crescat, quosdam ingenium turbulentum, plurimos offensio priuata. Debebant uero isti discordiarum auctores grauius puniri, ad incendiarios, quibus per omnia similes sunt, exemplum. Recte Antoninus Caracallus apud *Aelium Spartianum cap. 3* Laetum et ceteros, qui ipsum contra fratrem Getam concitarant, interemit. Et Wilhelmus, Saxoniae dux, Apollonium Vizthumium ceterosque ministros suos, quibus suasoribus funestissima cum fratre Friderico Placido odia exercuerat, post restitutam pacem acriter persecutus est. Qua de re uide plura in *Sigismundi von Bircken Sächsischem Helldensaal p. 372. et 420.* Similiter Icti Vitembergenses mense Septembri anni 1510 ceteri responderunt: Daß ne des Ministers booshafftes Gemütthe und gottlose Intention, Uneinigkeit in dem Fürstlichem Hause anzurichten, beygebracht werden könte; So möchte derselbe

derselbe mit Remotion, Gefängniß oder anderer dergleichen Straffe wohl belegt werden.

LVI

Magis uero peccant, qui arctissimum illud inter principem et coniugem eius uinculum dissoluere et dominum uxori infensum reddere student. Fecerunt hoc aliqui, meritasque maleuolentiae suae poenas dederunt. Memorabile inprimis est Hugonis Spenceri exemplum, qui praecipuus Eduardi II Angliae regis minister dominum adeo infensum uxori reddiderat, ut uidere eam, et in loca, in quibus illa moraretur, uenire detrectaret. Quod indignata regina sumptis armis Spencerum cepit et miserabili morte mulctauit. Vide *l'histoire des plus illustres fauoris tom. 2 pag. 67.* Superiore seculo Io. Ludouicus Langhansius, Carolo Electori Palatino a consiliis secretioribus et confessionibus, ob eandem causam a successore Caroli ignominiosissima poena adfectus est. Editus est publice anno 1689. de crimine Langhansii libellus sub titulo: *der Ungewissenhaffte Gewissens Rath*, vorgestellt in einer *Theologischen Facultät zu Heydelberg Bedencken über etliche Briefe Joann Ludewig Langhansens, vormahls bey des verstorbenen Churfürsten von Pfaltz Durchl. gewesenen Beicht: Vaters, Geheimden: und Gewissens: Raths*, darinnen er Ihre Churfürstl. Durchl. zur *Desertion* Dero Gemahlin und ungehörlichen Buhlen-Liebe mit einer gewissen Hof-Dame verleiten wollen, sammt einer Vorrede, worinnen dessen *Conduite*, Verbrechen und Bestrafung mit mehrern enthalten. Tota accusatio innitur nouem literis a Langhansio ad Electorem perscriptis, et carmini in diem eius natalem exarato.

to. Ex illis apparet, principem ipsum discordiam, quam cum coniuge exercebat, et furtiuos cum puella nobili amores religioni sibi duxisse, uariaque ex sacro codice dubia mouisse. Respondet ad haec Langhansius, scrupulosque omnes eximere principi callidis interpretationibus conatur. In carmine uero oblique coniugem Electoris perstringit, commodioremque ei et pulcriorem precatur, his maxime uerbis:

*Post haec nobilius poterit non esse marito
Munus, quam praestans animo et uirtutibus uxor.
Quae non triste tbori sit onus uitaeque grauamen,
Sed quae mille iocos det, quae perfusa rubore
Purpureo de se spargat super ore nitorem,
Alba rosis ac si miscentur lilia rubris.
Ergo, qui casti sancit foedera lecti,
Hanc tibi consortem cum tanto munere praestet,
Quae charam gignat sobolem dulcesque nepotes.*

LVII

Idem Langhansii exemplum docet, peccare et eos ministros, qui principem lenocinio corrumpunt, et ad furtiuos uetitosque amores inducunt ac hortantur. Fecisse hoc Langhansium, literae istae satis ostendunt, et memorabilia sunt maxime uerba, quibus Electorem ad constantiam in amando hortatur, spemque facit, fore, ut per hanc tandem puella, quae huc usque fortiter restiterat, uicta cedat, seque Principi permittat. Sic autem ait p. 25: Was die Vestung von der lincken Brust betrifft, muß ich bekennen, daß sie wohl versehen und bewahret sey, aber doch nicht unüberwindlich, wann nur die Aussenwercke, welche schon ziemlich pouffret seynd, einmahl fallen, so wird sich der Platz wohl von sich selbst ergeben

geben müssen. Unterdessen muß ein tapfferer Obrister auch seine Arbeit mit Gedult führen, und einen guten Ausgang von dem Himmel erwarten, welchen ich von Herzen wünsche und erbitte. Magis haec profecto Ouidii Artem amandi, quam sacerdotis et consilarii intimi epistolam decerent. Ille tamen huius lenocinii sui poenam tulit. Alii per id honores et opes adepti sunt. Sic Varena, Henrici IV Galliarum regis culinae primum, post libidinum minister, quem *Barclaius in Satyrico* sub Cursoris nomine ludit, Cancellario regni in iurgio dicere non erubuit, se officium suum, si modo rex paullo iunior foret, cum ipsius munere non commutaturum. Vide *Menagiana rom. 2 pag. 21.*

LVIII

Debet minister, quantum potest, alienationem bonorum publicorum impedire, quippe per quam uires reipublicae non parum imminuuntur. Sicut ergo tutor peccat, qui pupilli sui praedia sine necessitate uendit, *L. 1 pr. de Rebus eorum, qui sub tutela*, ita et minister, qui uenditionem eiusmodi principi temere suadet. Grauius tamen puniendus est, si hoc lucri sui causa, donis forsitan emtoris corruptus, faciat. Inter cetera, quae Greiffenfeldio, ministrissimo Danico, in sententia contra illum lata apud *du Mont in Memoires politiques pour servir à la parfaite intelligence de l'histoire de la paix de Ryswick tom. 4 p. 171* obiciuntur, crimina hoc etiam est, quod lucri sui causa alienationem insignium prouinciarum magna contentione suaserit.

LIX

Quemadmodum uero tutores, etiamsi iuste bona pupilli uendiderint, tamen, si minus, quam illa ualebant,

lebant, pretium fraude uel culpa sua acceperunt, ad supplendum hoc, quod deest, obligantur, *L. 6 et 7 C. Arbitrium tutelae*, idem in ministris principum obtinebit, si modo dolus uel culpa eorum manifestis indiciis appareat. Responderunt ita Icti Helmstadienses mense Ianuario anni MDCCXIX: *Dieweil ein offenbarer Dolus, oder doch wenigstens eine unverantwortliche Nachlässigkeit und supina ignorantia ist, daß Armandus eine jährliche und nach der Bauren Aussage beständige Revenue von 50 fl. vor 400 fl. verkauft; So muß er wegen dieser verkauften Frohnen der Hochfürstlichen Cammer annoch 600 fl. bezahlen.*

LX

Ex consilio neminem obligari, Icti in *L. 47 de Reg. iuris* et *L. 2 ff. ult. Mandati* aiunt. Eximit ex hac regula consilium fraudulentum Pontifex in *c. 62 de Reg. iuris* in 6. Eximendum praeterea est consilium imprudens et imperitum ab eo, qui artem profitetur, datum. Nam et hoc consiliarium obligat, arg. *L. 2. Quod quisque iuris* et *L. 132 de Regulis iur.* Recte ergo de ministris principis *Lauterbachius de Consiliis eorumque iure P. 2 c. 1 ff. 8: Si ex summa, inquit, imprudentia et ignorantia eorum, quae consiliarium omnino scire oportet, aliquid peccauerint, merito eius nomine ipsos obligatos esse dicimus. Nemo enim officium suscipere debet, cui se imparem scit aut scire debet. Poenam imprudentis consilii merito luit Cardinalis Ba-lua, praecipuus Ludouici XI Gallorum regis minister. Is solus, repugnante toto reliquo consilio, regi persuaferat, ut ad Burgundorum ducem, ueterem hostem aemulumque, atque praeterea machinationibus, et insidiis regis tunc maxime offensum, dimissis stipatoribus, proficisceretur, eiusque potestati se permetteret. Quae*

res

res quum pessime cederet, quemadmodum *Philippus Commineus in Commentariis historicis lib. 2 cap. 7 sqq. et Bussières historiae Francicae lib. 13 cap. 11* pluribus narrant, animum regis prorsus a Cardinali alienavit ruinamque ei maturavit.

LXI

Monet sapienter *Hertius Elementorum prudentiae civilis P. 2 sect. 4 §. 31 et 32*, debere principem, qui controversiam sibi de regno uel potestate motum iri praevidet, statim sub initio regiminis suscepti curare, ut, adhibitis Solemnibus inaugurationum caerimoniis, a proceribus et populo publice pro principe agnoscatur. Periculosum ergo est et imprudens, petitionem homagii, die *Huldigung*, differre. Et si quis minister id suadeat, uel in suspicionem fraudis incidet, uel saltem maximae imprudentiae reus erit. Imputabatur itaque Comiti *Schwarzenbergico* apud *Pufendorffium Rerum Brandenburgicarum lib. 1 §. 3*, quod, praesidiarios milites in uerba noui Electoris adigere iussus, ab iis tamen sacramentum haud exegisset, sed, ut porrecta manu fidem darent, satis habuisset. Similiter *ICri Helmstadiensis* mense Ianuario anni *MDCCXIX* in casu, quo filio primogenito post mortem patris ob recens introductum ius primogeniturae contradictio a fratribus postgenitis metuenda et tamen inauguratio ex consilio primi ministri omissa fuerat, responderunt: *Es hat Armandus unrecht gethan, daß, da die Unterlassung der Erbhuldigung bey den in Actis angeführten Umständen Sr. Hochfürstlichen Durchl. offenbar gefährlich und schädlich gewesen, er solche nichts destoweniger angerathen.*

LXII

Peccat uero minister, non solum, qui suadet pernicio-
sa, sed et, qui non dissuadet. Malum enim ei, qui
id impedire poterat et debuerat, si officium suum non
fecit, imputatur. *L. 45 pr. Ad L. Aquil. L. 2 §. 1 de No-
xal. act.* Et sic responderunt Icti Helmstadienses men-
se Ianuario anni *CIO IO CC XIX*: Obwohl Armandus bey
der Bestrafung des Raths zu Ostia nicht concurre-
ret haben will; So hat er dennoch hierinnen gesun-
diget, daß er die der Stadt auferlegte unverdiente
oder wenigstens übermäßige Straffe nicht wieder-
rathen, noch gehindert.

LXIII

Opportune hic mentionem adulationis faciemus, de
qua egregie *Curtius lib. 8 cap. 5 n. 6*: Perniciosa, ait,
*adulatio, perpetuum malum regum, quorum opes saepius ad-
sentatio, quam hostis euertit.* Scilicet consiliarius adsen-
tator est, qui, ut *Gnatho apud Terentium Eunuchio Actu
2 sc. 2*, principibus ultro arridet et eorum ingenia admi-
ratur, quidquid dicunt, laudat, id rursum si negant, lau-
dat id quoque; negant illi, negat, aiunt, ait, postremo
imperauit sibi, omnia adsentari. Itaque *Seneca de Be-
neficiis lib. 6 cap. 30* principem uocat hominem inter
mentientes stupentem, ipsaque consuetudine, pro rectis
blanda audiendi, ad ignorantiam ueri perductum, atque
ibidem mirifice describit consilium ex huiusmodi ad-
sentatoribus compositum. Sed quod ille grauiter, fe-
stiuè depingit *Iuuenalis in Satyra 4*, dum consultationem
Domitiani de ingente rhombo, quem piscator obtule-
rat, adparando habitam ridet. Diuersa autem sunt ge-
nera adsentationis, quae a ministris committitur. Enu-
merauimus ea in scripto, quod *de Adsentationibus Iureconsul-
torum*

torum edidi. Igitur, quae ibi dicta, nunc non reperam. Id saltem addo, poenam mereri adsentatores istos. Infligit hanc illis aliquando is ipse, quem adulando deperunt, princeps, et communi eos populi odio immolat. Sic igitur, ut cum *Tacito Annal. l. cap. 74.* loquamur, perniciem aliis ac postremo sibi inueniunt. Plerosque uero successor demum punit. Cuius rei exempla in historiis maxime primorum Romanorum Caesarum occurrunt. Ceterum infamiae poenam in adulatōres statutam inuenies in *L. l. C. de Statuis et imaginibus.*

LXIV

Improbis adsentatoribus adnumerandi sunt ministri, qui, ut principis sui potentiam ad altius fastigium euehant, ordinum prouincialium iura imminuere, omnemque iis auctoritatem detrahare suadent, et opera ipsa adnuntant. Quorum hominum malitiae ni obex ponatur, Germania tandem, et forte reliqua etiam Europa, triste seruitutis iugum subibit. Et subiit profecto iam magna ex parte, si pauca regna et prouincias excipias, quae iura sua et libertatem, uel fortiter resistendo, uel ob benignitatem et iustitiam principum suorum, retinuerunt. Inter quos magnae Britanniae et Poloniae reges, qui nunc imperant, uirtute sua et aequitate effecerunt, ut ceteris omnibus sint anteferendi. Et Poloniarum quidem rex non solum Polonos suos, quos inter tot bella ac tumultus sub iugum mittere non sine aliquo iustitiae colore potuisset, libertate prisca frui patitur, sed et in Saxonia antiquum Ordines prouinciarum in arduis negotiis conuocandi atque consulendi morem benignissime seruat, nouaque ista de domaniis inuenta et ceteras assentatorum artes, quibus ad oppri-

mendos

mendos ciues uti poterat, magno animo contemnit. Eadem est Britannorum regis pietas dignaque optimo principe uox, qua nuper in comitiis regni publicis se ideo feliciorum aliis regibus gloriatus est, quod in populo uere libero dominetur. Sentiunt quoque hanc bonitatem eius Germaniae ditiones, quarum incola indulgentissime tractat, et iura auget magis, quam immittit, ut Traianus in eo reuixisse uideatur. Alia autem est longe in multis aliis regnis et prouinciis rerum facies. Vel plane sublatam in illis uidemus ordinum et ciuium libertatem, uel, si quae eius umbra remanet, tam arctis limitibus circumscriptam, ut in comitiis nemo hiscere audeat, sed omnes submissa ceruice nutum principis uenerari, et postulata eius, iniqua saepe, admittere necessum habeant. Causam forte huius diuersitatis requiris? Praeter ipsum principum ingenium, quod in gente Saxonica et Brunswicensi semper mite iustique et boni tenax fuit, multum ministris debetur, qui, si improbi sunt, adsentatione sua principem ad deprimentam ordinum prouincialium auctoritatem impellunt, ipsique, quantum in se est, eam deprimunt. Quod dum faciunt, principem seque ipsos inuisos populo reddunt, atque cum illo nonnunquam, aliquando soli perire. Nolumus malorum intestinorum memoriam renouare. Inter exteros Britanni primum occurrunt, apud quos, si ab exemplis antiquioribus recedimus, Iacobus II rex cum ministris, quorum ope ad exuendos iuribus et auctoritate regni ordines usus erat, exilio mulctatus est. In Suecorum regno non feliciora fuerunt adsentatorum horum fata. Qui Sigismundo regi persuaferant, ut, ducto in regnum exercitu, comitia turbaret, Ordinesque iuribus suis spoliaret atque deprimeret, eos deinde rex ipse proelio ad Linkopingam uictus

ctus Carolo patruo, pro patriae libertate pugnanti, tradidit, Carolus uero meritissima morte adfecit. Vide *Pufendorffii Einleitung zu der Historie des Königreichs Schweden* §. 62. Gustauo Adolpho uix ad Sueciae regnum eucto Ioannes Skyt, praeceptor olim regis, tunc minister, consilium dedit, ut opprimeret penitus equestrem ordinem, sic enim fore, ut absolutam potestatem consequeretur, nemine contradicere audente, et, illatis in fiscum equitum bonis, insigniter ditesceret. Obstitit funesto huic consilio prudentia sua Oxenstirnius, Skytius uero improbitatis poenam interitu domus suae et miserabili plurium ex familia sua obitu luit, quemadmodum Auctor *des Anecdotes de Suede* p. 33 narrat. Idem auctor p. 127 *sqq.* memorat, Ericum Lindenschild Carolo XI auctorem fuisse, ut Ordines, senatorium inprimis, et equestrem, subigeret, sed ipsum deinde gratia regis et dignitate excidisse, atque pauperem et obaeratum obisse.

LXV

Est aliud adsentatorum genus, quod non principem, sed successorem eius spe futurorum sectatur, ei adhaeret, illius libidini obsequitur, eum ope et consilio aduersus ipsum principem suffulcit, maiora, quam par est, audentem iuuat, uel etiam incitat. Pulcre hos homines *Tacitus Annali* 12 cap. 4 ingruentium dominationum prouisoires appellat. Et Tiberius apud eundem *Tacitum Annali* 6 cap. 46 occidentem ab illis deferi, orientem spectari ait. Sed non impune semper adsentationem hanc suam ferunt. Narrat *Herodianus lib. 3 cap. 13* Seueri Imperatoris filios, Bassianum et Getam, neglectis patris monitis, frenos ore depulisse, ministerio adulatorum, qui illorum cupidinibus atque flagitiis obsequentur,

rentur, et noua semper excogitarent, quibus alteri gratum fieret, alter offenderetur, corruptos, sed Seuerum nonnullos in huiuscemodi ministeriis deprehensos supplicio adfecisse. Idem Seuerus Imperator apud *Spartianum in uita eius cap. 18* in eos, qui filium ipsius Bassianum, uiuo patre, Augustum appellarant, animaduerti iussit. Sub Christina, Sueciae regina, teste *Pufendorffio Rerum Sueciarum lib. 23 §. 7.* Messenii successorem regni designatum, Carolum Gustauum, literis adulatoriis propitium sibi, reginae uero et ceteris regni proceribus infensum, reddere studuerunt. At remisit literas ipse Carolus Gustauus ad Christinam, quae Messenios hos propterea morte puniuit.

LXVI

Possumt et hi inter adsentatores referri, qui, ne aegre principi fiat, uerum prouinciarum rerum statum illi occultant, et ciuium querelas ad aures eius peruenire non sinunt. Ita uero efficiunt, ut princeps malis, quae incognita ei sunt, mederi nequeat, atque cuncta in peius ruere pergant. Quamobrem occultatores isti causa calamitatum publicarum quodammodo dici possunt, et propterea recte plectuntur. Cleander, praecipuus Commodi Imperatoris minister, diu hac arte potentiam suam conseruauit et auxit. Ita nempe ille obsepserat principem, ut, flagrante licet periculosissimo ciuili bello, et populo seditioso suburbanum, in quo Caesar erat, infestante, Caesar tamen ignarus omnium in secessu uoluptatibus indulgeret, nec quisquam ei, quae gererentur, nunciare auderet. Sed Commodus tandem per Fadillam sororem de tumultu certior factus, amputatum Cleandri caput conto praefixit et hoc spectaculo malum sedauit. Narrat haec *Herodianus lib. 1 cap. 12 et 13.* Similis

milis fuit astutia Nassusi, purpuratorum sub Achmeto Turcarum rege principis, qui, quum Persae graue bellum mouissent, regem tamen suum hoc scire noluit, pacemque simulauit, tandem ob hanc perfidiam supplicio adfectus. Quae de re uide *L' bistoire des plus illustres fauoris tom 3 p. 19 sqq.* Inter cetera capita, ob quae Greiffenfeldius, Daniae praecipuus administer, damnatus est, hoc etiam memoratur, quod plurimas exterorum principum literas precesque ciuium, quas scire regis maxime interfuisset, suppresserit. *Du Mont Memoires politiques pour seruir a la parfaite intelligence de l' bistoire de la paix de Ryswick tom. 4 p. 171.* Et Michel de Montaigne lib. 1 cap. 16 legatos Francisci I, Galliarum regis, perfidiae insinuat, quod partem eorum, quae Carolus V in confessu Pontificis et cardinalium Romae publice et acerbissime aduersus regem disseruerat, reticuisent.

LXVII

Obseruandum est maxime ministro principis illud; quod Imperatores in *L. 1 C. de Mandatis principum* praecipiunt: Si quis, inquires, adferat, cum mandatis nostris secretis se uenisse, omnes sciant, nemini quidquam, nisi quod scriptis probauerit, esse credendum, nec ullius dignitate terri, siue ille tribuni, siue notarii, siue comitis proferat dignitatem, sed sacras nostras literas esse quaerendas. Peccant ergo ministri, qui temere hominibus, iussa principis praetextentibus, fidem adiiciunt, atque crudelitate hac induci omittenda faciunt, uel facienda omittunt. Imprudentissime certe fecit Brion, exercitus Gallici ductor, qui, teste *Brantomio in Vitis uirorum illustrium tom. 1 p. 362*, ad inuadendam Italiam missus, opportunissimum eius rei tempus praetermisit, Cardinali Lotharingico, legato regis, superuenienti et subsistendum esse dicenti,

R

nimia

nimia facilitate credens. Multum haec imprudentia res Francisci turbauit, eumque Brioni reddidit infensio-rem.

LXVIII

Iste tamen error facilius excusari potest. Magis peccant, qui non simulato principis iussu decipiuntur, sed sola praepotentis alicuius ministri, aut cuiusdam ex familia principis auctoritate moti, mandatum domini negligunt, aut negotium damnosum uel temerarium gerunt. Quamuis illis, ut plerumque fit, indemnitas promittatur a mandante, atque hic suo periculo eum agere iubeat, non liberabit hoc tamen eum a poena. Vide Dissertationem *Strykii de Periculo petentis cap. 2 et 3*. Memorabile eius rei exemplum *Varillas lib. 3 de l'histoire de François I. p. 186* affert. Iusserat Franciscus I Samblancaeum, aerarii praefectum, magnam pecuniae summam ad Lautreccium, Ducatus Mediolanensis gubernatorem, mittere. Et coëgerat iam Samblancaeus necessarios ad hoc numos, quum mater regis interueniens et fiscum regis multis nominibus obligatum habens, sibi illorum solutione satisfieri posceret. Obtendit Samblancaeus iussa regis. At mater obstinata in proposito negat se passuram, uel teruncium de summa sibi debita deduci, malumque Samblancaeo, ni pareat, minatur. Pergit ille capitis periculum, quod sibi mandata regis negligenti impendeat, ostendere. Sed respondet mater regia, tantam esse suam apud filium auctoritatem, ut haec eum facile tueri possit; diceret modo, quum rationem reddere iuberetur, iussu matris regiae se id fecisse. Verum deinde, quum Lautreccius provinciam sibi commissam perdidisset, causamque in pecuniae penuriam reiecisset, Samblancaeus in crucem actus, nec excusatio illa accepta est.

LXIX.

Minister principis eo ipso, quod munus tale sustinet, publica persona est, atque adeo in rebus, quae ad officium pertinent, affectibus priuatis locum relinquere non debet. Exuenda ergo sunt amor et odium, nec quidquam horum impulsu suscipiendum. Peccant enim, ut accurate philosophemur, etiam hi, qui faciunt quidem, quod debent, non tamen ea mente, ut officium suum, sed ut affectus, amorem uel odium expleant. Non male Gratianus in *can. 65 causa ii quæst. 3. Sententia*, inquit, *aliquando est iniusta ex animo proferentis, iusta uero ex ordine et causa. Ex animo est iniusta, quum aliquis, seruata integritate iudicarij ordinis, in adulterum uel in quemlibet criminofum non amore iustitiae, sed liuore odij uel pretio aut fauore aduersariorum inductus sententiam profert. Vnde Beda super epistolam Iacobi ait: Ira enim uiri iustitiam Dei non operatur, quia, qui iratus in aliquem sententiam profert, etsi ille, quantum ad se, iustam reponat sententiam, iste tamen, qui non amore iustitiae, sed liuore odij in eum sententiam dedit, iustitiam Dei, in quem perturbatio non cadit, non imitatur.* Enimuero haec ad forum diuinum magis, quam humanum spectant, atque adeo huius loci non sunt. Puniri tamen posset, qui maleficum punit uoluptatis causa. Vide exemplum in *Plutarchi Catone tom. 3 p. 670.*

LXX

Illi uero ministri sine dubio peccant, qui officio suo ad uindictam priuatarum inimicitarum abutuntur, qui inuisos sibi homines persequuntur, principi suspectos reddunt, de dignitatibus deiciunt, cetera. Huius criminis infinita exstant exempla. Nos pauca seligemus. Memorandus imprimis est Richelius, Ludouici XIII. Galliarum regis ministrissimus, qui priuatos suos inimi-

cos publicorum criminum reos uariis attribus faciebat, atque sub specie poenae publicae suo odio sacrificabat. Non dicemus iam de Marillaco, Thuano, Puylaurentio et aliis. Solum producemus Vibanum Granderium, parochum et canonicum Laudunensem, quem Richelius auctorem satyrae contra se, sub titulo *la Cordonnierre de Loudun* scriptae reputans, ut uindictam de illo publice sumeret, per suppositos accusatores magiae insimulari, datis iudicibus ad ignem damnari et cremari curauit. Historiam hanc plenius exponunt *Menagius in uita Guillelmi Menagii p. 83. sqq.* auctor *de l'histoire des Diables de Loudun ou de la possession des Religieuses Urselines*, quae Amstelodami anno 1693. prodiit, et auctor *de la Vie du ueritable Pere Joseph p. 307 sqq.* Richelio iungendus est Wolsaeus, Henrici IX Angliae regis ministrissimus. Is leuem iniuriam ducis Buckinghamiensis atrocissime ultus est. Dux scilicet aliquando rege manus lauante peluim tenet, sed, Wolsaeo manus in eadem pelui lauante, superbiam uiri pares cum rege honores sumentis indignatus aquam in calceos Wolsaei effundit; quod aegre ferens Wolsaeus malum duci minatur, paulloque post ficto perduellionis crimine circumuentum aduersarium supplicio adficit. Vide *l'histoire des plus illustres fauoris tom. 2 p. 276.*

LXXI

Non leuius illorum delictum est, qui, ut inimicis suis aegre faciant, dominorum suorum res et negotia, quae per illos administrantur, perire sinunt. Saepe duces bellici unius principis, aemuli inuicem et inimici, quum suppetias alter alteri ferre possent; maluerunt partem exercitus ab altero ductam ab hoste concidi, quam suo auxilio discrimini eripi. Saepe primarius minister exercitus et prouincias inuisis sibi hominibus committi

committi aegrae ferens, ne gloriam hi adquirant, sed potius male rem gerendo, gratia principis excidant, rebus omnibus necessariis carere illos patitur, et nec supplementa militum, nec pecuniam, qua indigent, mittit. Exemplo Richelius, Galliarum regis ministrissimus, erit, qui Feuquieurium, quem oderat, cum exigua militum manu ad obsidendam Theodonis uillam non alia mente mittebat, quam, ut eum hostibus trucidandum obii- ceret. Vide *Ludolphi Schaubühne der Weltgeschichte tom. 2 lib. 39 cap. 4 n. 89.* E contrario *Boyle in Dictionario art. Fontarabie lit. D.* obseruat, tantum fuisse quorundam Gallorum, quibus exercitus suos rex Ludouicus XIII commiserat, erga Richelium odium, ut sponte uictoriam hosti concederent, Richelium sic, ut sperabant, perdituri, qui in fastigio suo se sine felibus armorum successibus non poterat conseruare. Dicitur ob hanc causam dux Valettae maluisse ignominiose cum exercitu fugere, quam Fontarabiam obsessam in potestatem regis redigere. Quare et ad mortem damnatus fuit. Vide *l'histoire du Cardinal de Richelieu tom. 2 pag. 364.*

LXXII

Sed et per amicitiam aliquando peccat minister. Est autem ipsa interdum amicitia et familiaritas crimen, quidem cum inimicis uel tamen suspectis principi contrahatur. Nam minister, ut saepe iam diximus, totus principis sui esse debet. Ergo eosdem cum illo amicos et inimicos habeat, oportet. Hoc quippe est officium illius, qui fidem suam integram alteri obstrinxit. Quare et Romani ueteres gentibus illis, quibus pacem dabant, uel quos in foedus inaequale recipiebant, hanc simul legem ferre solebant, ut eosdem, quos populus Romanus, amicos atque hostes haberent. Cuius foederis aliquot

formulas uide apud *Briffonium de Formulis et sollemnibus populi Romani uerbis lib. 4 p. 362.* Et in *L. 1 §. 1. Ad L. Iuliam maiestatis* inter crimina maiestatis refertur, hostibus populi Romani nuncium literasue mittere. Itaque Franciscus Maria, Vrbinatum dux, apud *Ionum Nicium Erythraeum in Pinacotheca P. I. p. 175.* Mutium Oddum, ministrum suum, ob egregiam cum Hippolyto a Ruere, a quo dux capitali odio diffidebat, familiaritatem in uinculis diu tenuit, tantemque Mediolanum relegauit. Illi tamen principes nimis duri et suspiciosi in suos sunt, qui omnem illis amicitiam et commercium cum ceteris interdunt. Memorat tamen idem *Erythraeus dicto lib. p. 120,* Romae hunc morem inoleuisse, ut minister, qui in alterius uel Cardinalis uel uiri principis amicitiae suspicionem incidit, continuo honoribus indignus habeatur.

LXXIII

Grauius uero peccant, qui secreta sibi a principe commissa amicis suis, et domesticis aperiunt. Nam et inter priuatos amicus amicum, qui iudicia eius secreta diuulgauit, iniuriarum recte conuenit *L. 1 §. 38. Depositi.* Quidni ergo princeps in ministro taciturnitatem requirat, atque arcana temere effutientem puniat. Augustus certe apud *Suetonium cap. 66.* Maecenati, familiarissimo suo, uitio uertit, quod secretum aliquod uxori Terentiae prodidisset.

LXXIV

Nec excusandi sunt ministri, qui amicos suos delinquentes, quos princeps in custodiam mittere et punire constituit, de eo consilio certiores reddunt, uel, quum ipsi eos ex officii ratione capere deberent, effugere patiuntur. Debebant hi ad exemplum commen-

tariensi-

tariensium reos ex carcere dimittentium eadem poena, quae elapso infligenda erat, affici, arg. *L. 4 C. de Custodia reorum* et *art. 180. Constit. crimin.*

LXXV

Indulgentia quoque in uxorem et domesticos crimen est. Quodsi ergo ab his quid contra bonum publicum committatur, quod minister impedire, si prouidus seuerusque satis fuisset, potuisset, hic merito plectitur. De uxoribus inprimis exstat *Lex 4 §. 2 de Officio Proconsulis*, in qua senatusconsulto cauetur, ut, si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, delinquant, ab ipsis ratio et uindicta exigatur. Quod seuatusconsultum tamen, siquidem idem est cum eo, cuius mentionem *Tacitus Annali 4 cop. 20* facit, durius uidetur, nec ad tempora nostra trahendum. Censet enim ibi Messalinus Cotta, ut quamquam insontes magistratus et culpae alienae nescii, prouincialibus uxoribus criminibus perinde quam suis plectantur. Poterat hoc in republica Romana salutare esse, in qua officia, ad quae obeunda mittebantur ciues, annalia erant, praestabatque uxores tantisper domi relinqui. Ast apud nos, ubi munera fere omnia perpetua sunt, inhumanum foret, ministrum ad peccata coniugis suae, quam deserere nequit, luenda simpliciter obstringi. Rectius ergo tunc demum obligabitur, quum aliqua ei culpa imputari potest. Quid ergo sentiendum de eo, quod nostra aetate contigit? Commiserat magnus princeps exercitum suum uiro strenuo et prudenti, sed quem uxor cerebrosa comitabatur. Haec cum marito assiduus aliquot dierum et noctium laboribus fatigato cubitum discedens clam illo famulis interminatur, ut maritum hac nocte quiescere sinant, nec, quaecumque etiam incidat negotium, excitent.

tent. Dormientibus illis, superueniunt exploratores et transfugae, ac hostem castris appropinquare trepidi nunciant. Nemo tamen ex famulis, quibus ingenium mulieris imperiosae et, quanta atrocitate illa minas suas exsequi solerat, notum erat, cubile domini intrare audent. Inter has cunctationes aduentat hostis, inuadit et expugnat castra, militem maxima parte inermem opprimit et caedit, paucos sine ordine resistentes cum duce ipso fugat. Magna igitur clades accipitur, non culpa ducis, sed coniugis eius, cuius tamen factum marito, qui id praeuidere et cauere non potuerat, imputari haud debet. Alia Galli apud *Ammianum Marcellinum lib. 14 cap. 10.* causa fuit, qui flagitiorum suorum rationes Constantio Augusto redditurus omnia se, incitante coniuge Constantina, Constantii sorore, fecisse dixit, sed, reiecta hac puditissima excusatione, ad supplicium raptus est.

LXXVI

Refert *Fritschius in Ministro peccante Conclus. 50.* inter crimina ministrorum, temere et sine iusta causa officium suum resignare. Eadem mihi in *Specimine LXII. ad π. Meditat. 10.* sententia est, in recta ratione nec non in *L. 20 de Officio praesidis L. ult. C. de Defensoribus ciuitatum et L. 41 C. de Decurionibus* fundata. Damnosum certe et periculosum reipublicae est, ministrum rerum peritum, negotiis adsuetum et secreta edoctum munere abire et in alterius principis seruitium abire. Ergo hoc ei sine iusta causa non licebit. Quod si itaque exterus princeps ministrum lautioribus conditionibus ad se inuitat, poterit is, cui huc usque seruiit, princeps similes offerendo causam discedere, uolenti adimere, et uel inuitum retinere, atque nihilominus clam aufugientem punire.

punire. Memorabile eius rei exemplum apud *Panzirolum de Claris legum interpretibus cap. 126* exstat. Bartholomaeus nempe Socinus a Laurentio Medice cum mille aureorum honorario conductus, oblato sibi Patauii ampliore stipendio, ante conuentionis tempus clam discedere constituit, atque libros cuppis conditos ante urbe emisit, mox ipse sub uesperam sequutus, sed, deferente famulo, ex itinere retractus et in uincula coniectus est. Et quum Florentiae in senatu de imponenda Socino stellationis poena deliberaretur, non defuit, qui eum criminis laesae maiestatis insimulatum capite plectendum diceret. Sed intercessit Laurentius, et hominem ad carcerem aliquot dierum damnauit. Idem *Panzirulus lib. 2 cap. 29* narrat, Bononienses Francisco Accursio, a rege Angliae in Galliam uocato, indicta publicationis bonorum poena, abitum interdixisse, et, quum ipse ciues elusus, omnibus amico uenditis, tamen discessisset, bona publicasse, nec, nisi reuerso, restituisse.

LXXVII

Sed peccat et is, qui munus deponere a principe iussus administrationem tamen retinet. Refertur hoc inter crimina maiestatis in *L. 3 Ad L. Iuliam maiestatis*, exstantque aliquot in historiis ministrorum ob id, quod successores sibi missos non admiserint, et e prouinciis discedere iussi non discesserint, punitorum exempla. Vide de Pisone *Tacitum Annal. 2 cap. 70 et Annal. 3 cap. 14 seqq.*

LXXVIII

Atque sic absoluimus destinatum opus, in quo non omnia, sed pleraque tamen ministrorum principis crimina exposuimus. Scripsit iam ante nos de eodem
S argumen-

argumento *Fritschius in ministro peccante.* Verum, qui eius obseruationes cum nostris conferent, facile animaduertent, diuersam prorsus fuisse instituti nostri rationem, ut nihil fere aut paucissima saltem a Fritschio potuerimus mutuari.

MINISTRI DELINQVENTIS

CAPVT III

DE

FORO MINISTRORVM PRINCIPIS DELINQVENTIVM.

SVMMA CAPITA.

1. De foro ministrorum principis in genere. 2. Minister principis statutis oppidi, in quo et habitat, et ius ciuitatis adquisiuit, est subiectus, 3. debet quoque forum contractus agnoscere. 4. De foro delicti ministrorum principis in specie. 5. Ius Romanum cognitionem delictorum a supremis ministris commissorum ipsi principi uindicat, eorum uero, quae ab inferioribus admissa fuerunt, iudici ordinario relinquit, 6. cui haec cognitio adhuc hodie competit, 7. dummodo principem ante executionem de poena infligenda certiores reddat, eiusque consensum expectet. 8. Minister, etsi alibi domicilium constituerit, sub principe, cui seruit, forum sortitur, atque id in delictis circa officium commissis agnoscere necessum habet. 9. Si tamen princeps, sub quo habitat, ius de non euocandis subditis habet, euocari quidem nequit, 10. bene uero, si extra domicilium reperiatur, ad respondendum compelli, 11. quo casu forum etiam deprehensionis locum habet. 12. Princeps in delictis a ministro aduersus se commissis iudex esse potest. 13. Non debet tamen ipse pronunciare, 14. sed uel iudiciis suis ordinariis causae cognitionem relinquere, 15. uel acta ad lictos externos transmittere, 16. quod transmissionis beneficium uariis artibus eluditur, 17. uel statibus prouincialibus causae cognitionem committere, 18. ad quod aliquando obligatur, 19. uel commissarios constituere, quibus nec exceptionem incompetentiae, 20. nec suspensiones nimis remotas, 21. bene tamen exceptionem inimicitiae uel aemulationis, 22. quam nec lex, nec rescriptum principis recte adimit, opponere 23. et, quae a commissario suspecto etiam ante recusationem gesta, nullitatis infirmulare, 24. item adiunctionem commissarii petere potest reus. 25. Solent nonnunquam principes, peracto contra ministrum iudicio, acta omnia in publicum

publicum edere. 26. Minister duorum pluriumue principum communis, si delinquat, apud unum dominum stare non debet, sed ad commune forum recte prouocat. 27. Princeps alterius principis minister in delictis circa officium commissis huius iurisdictioni subest. 28. Clericus, principis simul minister, si circa officium delinquat, de iure ad iudicium seculare trahi nequit, trahitur tamen ad illud ex praxi, 30. nisi dignitate ecclesiastica eminentiore sit ornatus. 31. Legatus delinquens apud principem, sub quo delinquit, forum sortitur, 32. etiam in criminibus minoribus et iis, quibus priuati magis, quam respublica, laeduntur. 33. Licet principi punire ministrum suum, etsi is characterem legati ab extero principe gerat. 34. Opinio eorum, qui ministrum principis iurisdictioni eius principis, in cuius ditia ne olim natus fuit, subiectum manere contendunt, 35. refellitur.

I

Forum, quod ministri principis delinquentes agnoscere necessum habent, explicaturus de foro ministrorum principis in genere quaedam praemittere potuissem, argumento scilicet nobili, et ad eius, quod tractandum suscepi, interpretationem apprime faciente. Sed animaduerti, iam ante me *Strykium* peculiari scripto hunc laborem consumsisse, et publice de *Foro ministrorum principis* disputasse. Vide eius *Dissertationes iuridicas Hallenses* vol. 1. diff. 7. Malo itaque hos, qui generatim de foro ministrorum instrui cupiunt, ad *Strykium* ablegare, quam dicta ab illo inutili sedulitate repetere. Liceat tamen, duas quaestiones, in quibus *Strykium* a me dissentire animaduerto, excerpere et paulo accuratius disceptare.

II

Prima illarum est, an minister principis ex statutis oppidi, in quo non habitat solum, sed et ius ciuitatis adquisiuit, obligetur, atque adeo post mortem eius bona mobilia ad illos, quos statuta oppidi heredes faciunt, pertineant. Aientem sententiam tuitus sum in *Specimine ad ff. LXXI. de Foro domicilii meditat. 10* ex rationibus, quas ibi uidebis. Negat contra *Strykius in me-*

morata diff. cap. 2 §. 12, 13, 14. Existimat enim, ministrum hac ratione solummodo in causis istis, quae ad negotiationem ciuicam spectant, *L. ult. C. de Iurisd. omn. iud.* et ratione rerum immobilium statutis ciuitatis sese submississe; uasallagium quippe subditum non facere, nec subiunctionem personae operari, *Carpzouius P. 3 C. 28 def. 19 n. 13*, ministrum itaque ratione personae adhuc retinuisse forum privilegiatum; ergo etiam bona eius mobilia, quae ex qualitate personae aestimentur, *arg. c. 3 X. de Donat. inter uir. et ux. Gail. lib. 2. obs. 124 n. 18. Wesenb. Conf. 49. n. 21.* statutis ciuicis non subiacere; *Matth. Coler. de Process. Execut. p. 1 c. 3 n. 230, Wesenb. Conf. 1 n. 5. Meuius de Iure Lub. p. 2 tit. 2 art. 10 n. 22,* et ita Lipsiae iudicatum esse, referente *Richterō de Success. ab intest. in proem. n. 33.* Verum enim uero etsi non regem, personam ministri ius ciuitatis simul et habitationem in oppido habentis magistratui oppidano per omnia subiectam non esse, sed in rebus, quae ad officium et dignitatem eius spectant, sub principis iudicio manere; attamen in causis, quae eo non pertinent, sine dubio ciuis est, et ius domicilii agnoscere debet, *arg. L. 2 C. Vbi senatores.* Quod uero *Carpzouius* ait, uasallagium subditum non facere, nec subiunctionem personae operari, largior facile, sed limitationem addo, nisi domicilium in eo territorio habeat uasallus. Nam tunc indubie etiam subditus est. Vide *Hertium de Subiunctione territoriali §. 3.* Itaque minister principis, qui et domicilium constituit in oppido, et senatui fidem, ut ceteri ciues, iureiurando obstrinxit, ciuis est profecto. Si ciuis est, agnoscet et iurisdictionem in personam suam, quam iurando et habitando subiecit, agnoscet quoque statuta, quibus ciues omnes ligantur. Nec obstat privilegium fori, ministris principis datum. Huic enim renun-

renunciavit sponte, dum ciuem se fecit, dum domicilium fixit. Denique auctoritati Lipsiensium analogiam iuris, et, si res iudicatae per res iudicatas refelli debent, sententiam Helmstadiensem oppono a me in dicta meditatione memoratam. Consentit mecum *Meuius in Jus Lubec. Quaest. praelim. 3 n. 45.*

III

Altera sequitur quaestio, an scilicet ministrum principis in foro contractus coram iudice inferiore stare oporteat. Negat *Strykius in dicta dissert. cap. 2 §. 15, 16.* Ut enim, ait, principem ipsum fastigium foro eximit, adeo, ut nec statutis, quae ipse aut condidit, aut a ciuitate condita sua auctoritate confirmauit, obligetur, etsi in urbe contrahat, uel quidquam aliud disponat, ita et tota eius domus exempta est, *L. 3 C. de Praepos. S. cubicul. L. 4 C. de Silent. L. 12, C. de Prox. Sac. Scrin. L. 4 pr. C. de Agent. in reb. L. 2 C. de Decanis.* Et exemptio, domino competens, ad familiam et ministros eius quoque extenditur, sine quibus esse non potest, uti argumentatur *Meuius Quaest. praelim. 3 n. 34 Myle- rus ab Ebrenb. in Hyparch. c. 9 §. 2.* Contra in *Specimine LXXII. de foro contractus mediz. 5.* disputaui, atque ministrum principis in foro administrationis et reddendarum rationum, quod species quaedam fori contractus est, stare debere, adfirmaui, exemplumque attuli consiliarii cuiusdam intimi, principi electori, cuius subditi omnes ius de non euocando habent, seruiantis, a coheredibus suis ex administratione suscepta conuenti, et a Ictis Helmstadiensibus condemnati, ut apud iudicem ciuitatis exiguae responderet et rationes redderet. Causam condemnationis suae posuere Icti hi in natura fori contractus, et gestae administrationis, quod tam forte est, ut personas etiam summae dignitatis, quales olim

senatores erant, ad se trahat. Vide *L. 36 §. 1 de Iudiciis* et *L. 1. C. Vbi de ratiociniis*. Contraria Strykii opinio hoc fundamentum habet, quod princeps ipse foro contractus non subiaceat, atque adeo et ministri, qui familiam eius constituunt, ab illo sint exempti. Ego uero ipsum principem foro contractus statutisque eius loci subiicio. Atque, ut haec adsertio mea plus auctoritatis habeat, non meis, sed Ziegleri uerbis utar, qui de *Luribus maiestatis lib. 1 cap. 1 §. 16 et 17*. In contractibus, inquit, suis omnibus Princeps utitur iure communi, et perinde, ut priuatus, obligatur, siue is cum alio priuato contraxerit, siue cum integra aliqua uniuersitate. Sicut enim initio libera potestas unicuique est habendi uel non habendi contractus: ita renunciare semel constitutae obligationi, aduersario non consentiente, nemo potest, *l. 5 C. de O et A*. Quin imo firmitus arctiusque eum obligari conuenit, quia mutuae fidei assertor est et iudex, ut proinde nec plenitudo potestatis, nec ulla urgens clausula eum eximere possit. *Gail. 2 Obs. 55 n. 7. Ay-mo Crauett. de antiq. temp. part. 1 c. 2 num. 16, 17. Hillig. in Donell. enucl. l. 12 c. 21 lit. 2. Ayren in process. part. 2. cap. 9 Obs. 1. Rauchbar. 2 part. q. 11 n. 4, 5. Quirin. Kubach. cent. 1 dec. 3 q. 2. Petr. Costal. in l. 1 ff. de Pact. Wesenbec. p. 3 conf. 109 n. 77. Arum. in ff. disp. 2 n. 9. Georg. de Cabedo p. 2 decis. 75. Henr. Bruning. de uar. uniuersit. spec. tb. 4. Dixi, ex contractu Principem obligari ciuilitur, etiam tum, quando cum subdito suo contraxit, si quidem contraxit, ut quouis alius, non ut Princeps. Quod si enim Princeps, qua talis, cum subditis suis contrabat, de negotio scilicet et causa status, iuribusque publicis, talibus actibus leges ciuiles adplicari uix potuerunt: nascitur tamen inde obligatio, quae ius dat subditis, eodemque modo obligatum reddit Principem, quo obligantur subditi. At si talis sit actus, qui a quouis alio fieri potest et solet, etiam ciuiles leges in eo ualebunt, uti recte contra Fernandum*

nandum Vasquium disputat Hugo Grotius de iure bell. et pac. lib. 2 c. 14 n. 6. Idque adeo uerum est, ut etiam statuta localia obligent Principem, si quidem ex iisdem obligatum sibi uelit subditum, cum quo contrahit. Nec enim claudicare debet contractus, cum ex iustitia commutatiua quoad nexum et uinculum utriusque contrahentis par debeat esse conditio, etsi diuersitas deinceps quoad modum exigendi sese exerat, ideo quod cogi alter possit ad fidem seruandam, alter non possit, cum ea diuersitas non ex modo obligandi, sed ex personarum qualitate ortum habeat. Haec ille. Vides ergo, ipsum principem per aequitatis et iustitiae regulas foro contractus legibusque eius alligatum esse. Qua igitur ratione ministri eius sese eximent? Patrocinari, fateor, illis uidentur LL. a Strykio memoratae, quae cubicularios, obsequiis occupatos et aulae penetralibus inhaerentes, ab obseruatione aliorum tribunalium liberant, ut in magistri officiorum solummodo iudicio propositas aduersus se excipiant actiones, idemque priuilegium ex eadem ratione silentiariis, proximis sacrorum scriniorum, agentibus in rebus et decanis tribuunt. Nec inepte id ad ministros principum nostrorum ob similitudinem rationis trahitur. At haec priuilegia sunt, quibus renunciare ministros posse, nullus dubito, propter L. 29 C. de Pactis. Renunciat uero iuri suo tacite, quisquis in loco aliquo contrahit, arg. L. 19 §. 1, 2 de Iudiciis. Accedit, quod ipse Strykius in fine §. 16 fatetur, ministrum principis contrahentem, si certum locum solutioni destinet, priuilegio fori renunciare, atque in loco destinatae solutionis directa actione conueniri posse. Quod si igitur hoc in una specie fori contractus iustum est, nescio profecto, cur ad ceteras nequeat accommodari.

IV

Sed de his satis. Adgrediar nunc rem ipsam, et in specie forū delicti ministrorum principis considerabo. Poterat equidem et hic *Strykius* nobis otium fecisse uideri, qui quippe in saepe memorato cap. 2 §. 17 usque ad 23 idem hoc argumentum tractat. Sed, ne quid dissimulem, tractat saltem uel attingit potius, non pertractat nec exhaurit, largamque mihi mensem, non spicilegium, relinquit. Unica nempe est, quam excutit, quaestio. Et hanc ita quidem excutit, ut et circa istam non nihil, quod moneam, supersit.

V

Quaeritur scilicet, utrum cognitio delictorum, a ministris principum commissorum, spectet ad ciuitatem principi subiectam, in qua delictum perpetratum est, et quae merum imperium seu iurisdictionem criminalem habet, an uero ipsi principi reseruanda sit. *Strykius* cognitionem principi uindicat, et magistratus inferiores ab ea prorsus excludit, Meuiumque dissentientem operose refutat; recte profecto, si modo distinctionem, quam leges nostrae suggerunt, retinuisset. Quod quum non fecerit, et, quae praecipua est in hoc argumento, quaeque ipsi maxime obstat, *L. 4 §. 2 C. de Castrensis* ne quidem tetigerit, operae pretium erit, accuratius considerare, quid hac in parte Imperatores Romani in legibus suis constituent. Illi scilicet ministros sublimes et illustres, qui pars quodammodo corporis principis sunt, ab inferioribus separant. Et in illos quidem adinaduersionem principi ipsi reseruant, ne tantae dignitates minoris magistratus ultioni expositae uilescant. *L. ult. C. Vbi senatores*. At eos, qui in inferiori honoris gradu positi sunt, tametsi clarissimatus dignitate fulgeant, ordinario delicti foro subiiciunt, *L. 1*

L. 1 C. Vbi senatores. iudicibus tamen inferioribus praeci-
piunt, ut praefectum praetorio de poena illis infligenda
ante omnia consulant. *L. 16 C. de Dignitatibus.* Atque
ab hoc ordinario delicti foro nec illos quidem, qui in
aulis uersantur, et personae principis seruiunt, leges exi-
munt, sed et hos in ciuilibus quidem caussis magistro of-
ficiorum subiiciunt, in criminibus uero iudici, sub quo
deliquerunt, submitunt *L. 4 § 2 C. de Castrensis et
ministerianis*, ibi: *exceptis criminibus, quae in locis inqui-
ri, flagitari et uindicari generalia legum praecepta constituunt.*
Singulari tantum priuilegium silentiariis et sacrorum
scriniorum officialibus in *L. 4 C. de Silentariis* et *L. 12
C. de Proximis sacrorum scriniorum* indulgent, ut, quam-
uis non illustribus, sed clarissimis saltem accenseantur,
in caussis tamen criminalibus alium iudicem, quam ma-
gistrum officiorum, non agnoscant, ne scilicet ad diuer-
sa tracti iudicia a sacris, quibus continuo uacare debent,
obsequiis abstrahantur. Haec est iuris Romani de foro
delicti ministrorum principis dispositio, quam Strykius
aut non perspexit, aut, si perspexit, ut par est, non ex-
plicuit.

VI

Inuestigandum uero est, an haec iuris Romani disposi-
tio nostris quoque moribus conueniat. Equidem non
ignoro, diuersissimam esse aularum nostrarum faciem ab
ea, quam priscorum imperatorum aulae habebant. Et
ridiculus forem, si, quod nonnullos fecisse animaduerto,
praefectos praetorio, magistros officiorum, silentiarios,
proximos sacrorum scriniorum cum hodiernis Cancel-
lariis, Mareschallis, Secretariis et Archiuariis exaequa-
rem, quamuis, aliquam inter illos collationem institui
posse, non negem. Leges tamen Romanae hac in par-

te cum recta ratione et consuetudinibus nostris ita conueniunt, ut discrimen inter ius scriptum et mores hodiernos hic facere non opus sit. Scilicet ministri illustres, quos aulicos maioris abollae scite appellat *Haugvix de Regni et aulae marescallis cap. 6 sect. 2 n. 604*, consilarii scilicet intimi, praesides collegiorum, cubiculo praefecti, et, quotquot hos dignitate aequant, principem solum adhuc hodie etiam in criminibus iudicem agnoscunt, ut ne quidem ad mareschalli, ordinarii alias, in aula iudicis, tribunal trahi queant, teste *Lobmeis in der Stats-Hoff-und Regier-Kunst l. 3 c. 2 f. 376*. Hos itaque, si extra aulam delinquant, iudicibus locorum, in quibus delinquant, attingere nefas erit. Poterunt solum de crimine commissio principem certiore reddere, et arbitrium eius exspectare. Si periculum forsan in mora metusque sit, ne minister delinquens cum reipublicae dispendio fuga elabatur, necessitas et salus publica, uti semper, hic quoque iudicis inferioris potestatem extendunt, atque ei, adprehendere de fuga suspectum, permittunt. Qui hos sequuntur, ministri et aulici inferiorum graduum, siquidem in aula ipsa delinquant, cognitioni iudicis aulici, seu, ut communiter uocatur, mareschalli, subsunt, qui tamen in criminibus grauioribus sententiam ex praescripto principis uel consilii eius fert, er muß entweder bey dem Fürsten selbst, oder den Råthen Bescheid erwarten. Vide *Seckendorffii Teutschen Fürsten-Staat in Appendice cap. 5 sub rubr. Bestellung eines Hoff-Marschalls oder Hoffmeisters §. 15* et *Haugvixium de Regni et aulae marescallis cap. 6 sect. 2 n. 632*. Quodsi uero hi extra aulas delinquant, cognitio ad iudicem loci pertinet, cuius iurisdictio exemptione talium personarum, quas leges non eximunt, turbari non debet, ut recte ait *Meuus in Ius Lubec.*

Lubec. Quaest. praelim. 3 n. 50, apud quem etiam in praecedente n. 49. ordines iuridici in academiis Tubingensi, Friburgensi et Ingolstadiensi ex eodem fundamento responderunt, magistratum ordinarium posse punire delegatum principis in suo territorio existentem. Ad gravissimum hoc Meuii argumentum nihil habet, quod respondeat Strykius, praeter hoc solum; concessa ciuitatibus et ceteris magistratibus iurisdictione, semper reservatam intelligi iurisdictionem maiorem et potestatem pleniorum. De hac uero principi adimenda nec cogitavit unquam Meuius, nec ego nunc cogito. Adscribo enim principi soli ius de delictis ministrorum suorum illustrium cognoscendi, atque ab hoc, quemadmodum dixi, magistratus inferiores penitus excludo. Relinquo eidem cognitionem de extrema appellatione, querela nullitatis, ceterisque, quibus causa ad eum deuoluitur, remediis. At iurisdictioni magistratuum arctiores, quam quibus leges illam circumscribunt, cancellos ponere et cognitionem de criminibus minorum ministrorum, quam iura ipsa iudici inferiori indulgent, huic adimere, atque in principem adsentatorie transferre erubesco. Nec quidquam me mouet illa Strykii ratio, quod exemptio domino competens etiam ministris tribuatur. Falsam quippe hanc esse, unusquisque animaduertit. Nullum plane agnoscit forum delicti princeps ideo, quod legibus solutus et poenis non obnoxius est. Hanc uero libertatem, nullus erit minister tam ineptus, qui sibi adscribat. Ergo quum poenis subiectus sit, foro quoque delicti, quod leges constituunt, se subiiciat, oportet. Denique, quod ad exemptionem silentiariorum et officialium sacri scrinii attinet, singularis haec est prorsus et ad priuilegia referenda, quae ad exemplum trahi non debent. Consentit quidem cum Strykio *Heigius P. 2*

Quaest. 25, sed ex iisdem rationibus, quas Strykio opposui, facile refutandus.

VII

Vna est res, quae potestatem magistratuum inferiorum in cognoscendis delictis ministrorum principis aliquantulum restringit, sed nec haec tamen noua, uerum in priscis legibus fundata. Dixi supra, in *L. 16 C. de Dignitatibus*, iudices uirum clarissimum uel alia dignitate, quae infra illustrem sit, punituros iuberi, rem ante omnia ad praefectum praetorio referre, atque consulto eo, quid de admissio crimine constitui oporteat, iudicare. In *L. uero 27 ff. 1 et 2 de Poenis* alia exstant principum mandata, quibus cauetur, ut sententia contra principales ciuitatum delinquentes lata ante executionem ad principem mittatur. Eadem itaque necessitas adhuc hodie incumbit magistratibus, ut, quum praefectos praetorio non habeamus, ipsum principem uel sanctiorem eius senatum certiore reddant de poena alicui ex ministris eius inferenda, atque ipsius confirmationem expectent. Quae res minus dubii habet, quum ex praxi recepta etiam nobiles, nulla licet dignitate aulica ornati, inconsulto principe, neque quaestioni subiaci, neque ad supplicium abstrahi queant. Vide *diff. de meam. Equitum Saxoniorum iuribus singularibus ff. 37.*

VIII

Sed mitto Strykium, et ad alias quaestiones, quas ille somisit, pergo. Accidit saepe, ut minister principis non in eius, cui seruit, principis territorio, sed sub alio habitet, multasque muneris sui partes extra aulam in domicilio suo obeat. Si quid ergo ille circa officium delinquit, quaeritur, utrum in foro domicilii conueniri debeat,

debeat, an uero ad tribunal principis, cui seruit, trahi queat. Negat ultimum hoc *Carpzouius lib. 2 Respons. 13 n. 14*: Ratione muneris, inquit, seu officii nemo forum sortitur. *Carpzouii* sententiam probare uidetur *Continuator Vfus moderni Strykiani tit. Ad municipalem §. 10, in fine*. Ego tamen ab utroque dissentio, regulamque *Carpzouii*, quod officium iurisdictionem non tribuat, aperte falsam iuribusque nostris contrariam esse dico. Si aliae mihi rationes deficerent, possem ad forum administrationis et reddendarum rationum recurrere, quod administratori prorsus indeclinabile est. *Eum*, inquit *Legis 1. C. Vbi de Ratiociniis tam publicis quam priuatis agi oportet auctores, qui aliena negotia ex quocunque titulo administrant, ubi haec gessit, rationem oportet reddere*. Et *Callistratus in L. 36 §. 1 de Iudiciis*: *Senator*, ait, *si negotiis alienis se obtulerit in prouincia, non debet iudicium recusare negotiorum gestorum, sed actionem eum suscipere oportere, Iulianus respondit, quum sua sponte sibi hanc obligationem contraxerit*. Et quamuis aliquas officii sui partes minister in domicilio suo extra aulam expedierit, forum tamen administrationis apud eum sortitur, qui ipsum administratorem constituit, non eum, sub quo negotia gesta sunt, quemadmodum in *Specimine LXXII. ad π. de Foro contractus medit. 8.* ostendi. Accedit, quod in aula principis et instructio sufficiens, et nota testimonia, et uerissima documenta possint praestari, quae potissima introducendi, fori administrationis ratio fuit *L. 2. C. Vbi de ratiociniis*. Et, si quae etiam documenta forsan penes se habeat reus, adferri illa in aulam oportet per *L. 45 pr. de Iudiciis*. Praeterea uero officium ipsum sine domicilio et sine possessione bonorum officialem principi et iurisdictioni eius subiicit. Optime *Schilterus in Notis ad Struuii Syntagma iuris feud.*

cap: 2 p. 15 et 16. Fidelitatem, inquit, promittit officialis seu minister, **Ambts: oder Diener: Pflicht**, non absolute, sed tantum ratione muneris concrediti: subiectus igitur est domino, et obedire ac parere debet, non quoad res, neque quoad personam simpliciter, ut subditus, sed tantum ut officialis, et quantum ad negotia ad officium eius pertinentia. Hanc dicamus fidelitatem personalem restrictam ad officium seu officialem. Et hoc fidelitatis genus includit obedientiam et necessitatem parendi, adeoque speciem subiectionis etiam personalis. Quod Schilteri effatum mirifice confirmatur in 2 F. 5. ubi iusiurandum fidelitatis, quod a domestico seu familiari, id est, ministro praestatur, fortius dicitur eo, quod uasallus praestat, formulaque eius cum iurisiurandi subiectionis formula exaequatur. Non dubito itaque, ministrum principis, alibi licet habitantem, tamen principi in causis officii subiicere, necessitatemque ei forum siue administrationis siue delicti agnoscendi imponere. Consentiant hac in parte mecum Icti Helmstadienses, atque sic mense Iulio anni MDCCXIX. responderunt: Ist Constantius, Gräflicher Winsenburgischer Hoff: Rath, aus Ursachen, daß er den seiner Gräflichen Herrschafft schuldigen Respect in Reden oder Schriften empfindlich angegriffen, auch sonst wieder deren Interesse eines und das andere unternommen haben soll, arrestiret worden. Entstehet demnach die Frage, ob der Gräflichen Winsenburgischen Herrschafft Jurisdiction, deren sie sich über Constantium annahmet, gegründet, und ob sie nicht vielmehr ihm in foro domicilii zu belangen verbunden sey. Ob nun wol Constantius nicht in Winsenburg, sondern auf seinen Gütern im Königreich Böhmen wohnet, und von dar aus die Gräflichen Dienste versiehet, und denn nach berühmter Rechts-Lehrer Meynung dergleichen Bedienung:

dienungen von Hause aus kein forum fundiren, wie denn auch Constantius unter Gräflicher Jurisdiction weder delinquiret, noch einige Rechnung geführet, wannenhero es das Ansehen gewinnet, ob sey der Gräflichen Herrschafft Jurisdiction über Constantium nicht gegründet, und dieselbe, ihn in foro domicilii zu belangen, verbunden gewesen; Alldieweil aber Constantius in würcklichen Gräflichen Diensten gestanden, folglich, ungeachtet er sein Domicilium anderwärts gehabt, und daselbst in andern sein Amt nicht betreffenden Sachen nothwendig belanget werden müssen, ratione seines Amts und zugleich seiner verpflichteten Person der Gräflichen Herrschafft allderdings unterworffen gewesen; So ist der Gräflichen Winsenburgerischen Herrschafft Jurisdiction, deren sie sich über Constantium in den sein geführtes Amt betreffenden Sachen annasset, wohl gegründet.

IX

Sed quid dicendum est de casu, quo minister ille sub principe, cuius ciuibus ius de non euocando uel ex lege, uel ex priuilegio, uel ex pacto competit, habitat? Poteritne eum princeps, cuius minister est, nihilominus ad iudicium suum, tanquam ad forum administrationis uel delicti euocare? Equidem in *Specimine ad ff. LXXII de Foro contractus medit.* § simpliciter dixi, in foro administrationis et reddendarum rationum eum quoque stare debere, cui alias ius de non euocando competit. Videtur ergo hoc eo magis ad praesentem casum, quo forum administrationis cum foro delicti concurrit, adplicandum. Sed res explicatione indiget, in qua multum illustri Ludwigo, praecipuo academi-

miae Fridericianae decori, qui controuersias circa beneficium de non euocando in *Commentar. ad Aur. Bullam tit. 8. §. 1* lucidius, quam alii hucusque fecerunt, expedit, me debere profiteor. Scilicet ministrum illum, quamdiu in domicilio suo manet, euocare ad aulam, cuius minister est, vix licebit. Clariora sunt hac in parte priuilegiorum de non euocando uerba, quam ut restringi queant. Ita enim Carolus IV. de ciuibus Electorum in *Aurea Bulla tit. 11. Statuimus*, inquit, *ut nulli comites, etc. nullae quoque personae Colonien- si etc. subiecti uel subiectae, cuiuscunque status, conditionis uel dignitatis existant, ad cuiuscunque actoris instantiam, extra territorium, et terminos ac limites etc. ad quodcunque tribunal, seu cuiusuis alterius, praeterquam archiepiscoporum Moguntinensis etc. iudicium citari potuerint temporibus te- troactis, uel trahi seu uocari debeant perpetuis in antea tem- poribus siue possint. Quodsi contra praesens edictum nostrum praedictos subditos uel eorum aliquem, seu aliquos ad cuiuscun- que instantiam, seu ad cuiuscunque tribunal pro QVA- CVNQVE CAUSSA CRIMINALI, ciuili uel mi- xta, seu QVOCVNQVE NEGOTIO extra territori- um limites seu terminos dictarum ecclesiarum etc. citari con- tingeret, comparare uel respondere minime teneantur. Et ci- tatio, et processus, et sententiae interlocutoriae uel definiti- uae contra non uenientes a talibus iudicibus extraneis latae uel factae, fiendae uel ferendae, nec non praecepta et prae- missorum executiones, et omnia, quae ex eis uel aliquo eo- rum quomodolibet sequi, attentari possent uel fieri, irrita de- cernimus eo ipso.* Simile est regis Bohemiae priuilegi- um in *tit. 8. §. 1. Aureae Bullae*, Ducum itidem Saxoniae. Audacior igitur, quam par est, forem, si aduersus has le- ges euocationem permetterem.

X

Aliud uero est, si minister extra domicilii sui locum deprehendatur. Competet tunc utique principi, cui seruit, potestas adprehendendi illum, atque, ut respondeat ad obiecta crimina, cogendi. Neque enim priuilegium de non euocando ius etiam reuocandi domum complectitur. Recte *Freberus de tutela testamentaria cap. 12 §. 9 p. 129* de priuilegio de non euocando regi Bohemiae dato agens: *Veniat, inquit, Bohemus, et cum nostris Germanis contractus ineat alicubi; Lipsiae puta uel Francofurti, uel rapaces aut uiolentas manus alicubi intenter, et uideat, quomodo fundatam ratione contractus aut delicti iurisdictionem eo loco elabatur, domumque reuocans audiat.* Itaque, quod dixi, in foro administrationis et reddendarum rationum eum stare debere, cui alias ius de non euocando competit, intelligendum est de casu, quo reo praesenti in loco administrationis citatio insinuatur, non uero extendendum eo, ut citari quoque illum in territorio principis, cuius ciues ius de non euocando habent, liceat. Idem de foro delicti dico. Securus erit minister, quamdiu in domicilio manebit, euocantique eum domino uerba ista priuilegii; *pro quacunque causa criminali, ciuili uel mixta, seu quocunque negotio;* obuertet. At, si relicto domicilio in domini, cuius minister est, potestatem ueniat, et ad tribunal eius ire ac de criminibus suis respondere iubeatur, frustra priuilegium de non euocando opponet, quippe quod, ut dixi, strictae interpretationis est, neque ius reuocandi domum comprehendit. Consentiunt mecum *ICti Helmstadienses*, atque in eo, quem supra §. 8 exposui, casu responderunt: *Es fällt das Priuilegium Bohemicum de non euocando allhier, da die Gräfliche Herrschafft*
u
den

den Constantium, als ihren Bedienten, wegen einiger dem Angeben nach in Verwaltung seines Amtes von ihm begangenen delictorum arrestiren lassen, hinweg.

XI

Quin imo forum deprehensionis locum habebit. Fac enim, ministrum sibi male conscium omni cura territorium principis, cui seruiit, et in quem peccauit, uitare atque ita in illo deprehendi non posse, sed tamen subinde in aliorum principum ditiones excurrere. Rectene faciet vicinus princeps, si ministrum per terras suas iter facientem comprehendat atque causam suam agere cogat? Equidem deprehensus minister obiciet sine dubio deprehendenti exceptionem incompetentiae, dicetque, non cuius iudici ius esse, reum in sua ditione repertum capere, et ad dicendam causam compellere, sed ei tantum, sub quo uel delictum commissum est, uel sub quo reus domicilium habet. Haec iam olim Accursii sententia fuit, qui *Legem 1 C. Vbi de Criminibus*, in qua forum deprehensionis fundatum communiter putant, in *Glossa ad b. L. lit. K.* sic interpretatur, ut uerba: *ubi reperiuntur, qui rei esse perhibentur criminis*; de domicilio intelligat, atque forum deprehensionis tantum in uagabundis, non in aliis, admittat. Accursium *Bartolus* et *Grammaticus*, celebres prisci temporis Icti, sequuntur. Vrgebit praeterea reus publicas imperii de pignorationibus leges, quae principem alterius principis ciues capere uetant. Vrgebit etiam ius de non euocando, petetque, ut propter illud ad iudicem domicilii remittatur. His tamen non obstantibus, forum deprehensionis locum habere existimo. Nam quae Accursius ueteresque nonnulli contra forum deprehensionis in genere disputarunt, explosa sunt iam diu, ostensumque

sumque est, uocem: *reperiuntur*; quae in *L. 1 C. Vbi de criminibus* habetur, non posse de domicilio tantum accipi, nec, quum generalis sit, ad solos uagabundos restringi, praesertim quum etiam *Lex 3 de Officio praesidis* forum deprehensionis non obscure firmet. Sed plura de hoc argumento habet *Donellus in Commentariis de iure ciuili lib. 17 cap. 16.* atque *Accursium* et *Bartolum* solide refutat. Deinde leges imperii, quae pignorationes et detentionem alienorum ciuium prohibent, praesidium maleficis non praestant, nec iura communia, et, quae in illis de poenis criminum et persecutione delinquentium constituta sunt, tollunt. Quin ipsae leges imperii, dum pignorationes prohibent, capere tamen ciues alienos in causis criminalibus permittunt. Vide *Ordinationem Camerae Part. 2 tit. 12* ibi: *allein Malefiz: Sachen ausgenommen.* Porro ius de non euocando, quemadmodum supra dixi, ius reuocandi, si quis sine euocatione ad tribunal alienum ex iusta causa tractus sit, non comprehendit. Denique remissio delinquentis ad forum domicilii uel delicti iam diu ex confessione omnium inter principes uicinosque iudices necessaria esse desit. Quamobrem *ICTi Helmstadienses* in ea, quam bis iam memorauimus, causa sic responderunt: *Ist Constantius zu Inspruck vermittelst ausgebrachten Gräfflichen Tyrolischen Befehls arretirt, und auf die Bestung Kuffstein gebracht, auch daselbst nunmehr in die sechste Woche in enger und harter Verwahr sam gehalten worden.* Biewohl nun die *Constitutio Imperii de pignorationibus*, krafft deren keines andern Herren Unterthanen von einem andern Herrn arrestiret werden können, das Priuilegium *Bohemicum de non euocando*, und der zwischen den Königen von Böhmen und den Grafen von

Tyrol errichtete Vergleich, vermöge dessen einer des andern Unterthanen ad forum competens zu verweisen hat, die Formalia der geschehenen Arrestirung nicht wenig zweifelhaftig machen, Dieweil aber dennoch die wieder Constantium angebrachte und sonder Zweifel durch Zeugen und Brieffe bestärckte Violation des Gräflichen Respects, Verrathung ihres Interesse, Debauchirung ihrer Diener &c. allerdings harte und bey einem Bedienten gar straffbare Delicta seynd, worinnen das Forum deprehensionis billig statt findet, da zumahl Arrestat in geraumer Zeit nicht nach Winsenburg gekommen, demnach, daß der Proceß allda wieder ihn angestellt werden können, verhindert, übrigens der Herr Graff von Tyrol ihn nicht als einen Böhmischen Unterthanen, sondern als einen Winsenburgischen Bedienten, auf derselben Herrschaft Ansuchen, arrestiren lassen; So mag die geschehene Arrestirung vor null und nichtig nicht geachtet werden.

XII

Pleraque, quae ministri principum committunt, crimina principes ipsos laedunt. Quum ergo, ut dixi, princeps in delictis praecipuorum ministrorum suorum iudex sit, quaeritur, annon illi tunc, quum causa ipsum tangit, exceptio causae propriae et, quae inde fluit, suspecti iudicis queat opponi. Equidem iudicem, quem in propria causa esse, cum ipsa recta ratione pugnat. Contraria enim sunt inuicem, causam agere, seu partem esse, et eandem decidere, seu iudicem esse. Haec ergo in una persona simul consistere non possunt. Agnoscunt hoc iurium nostrorum conditores, atque iudicium in propria causa non solum iniquum uocant, *L. 17 de iudiciis,*

dicus, L. un. C. Ne quis in sua causa, sed ne permittunt quidem, ut quis consensu aduersarii in propria causa arbiter fiat. L. 15 de Receptis, qui arbitrium. Etsi etiam absurdum non esset, quem duplicem eamque contrariam personam sustinere; amor tamen erga se et res suas cuilibet homini innatus suspectissimum illum in contro- uersis propriis reddit. Quae quum ita sint, mirum est profecto, Ictos nostros principem ab hac iuris naturalis regula eximere. Aperte Meuius P. 5 dec. 322 n. 7. Sal- tem, inquit, principum et rerumpublicarum superiorem non recognoscentium id proprium est, ut, quia alium iudicem non habent, in sua causa iudicent. Quid ergo, num princi- pes hac in parte rectae rationi et iuri naturae sunt utique. Itaque et regulam illam agnoscant, oportet. Recte Cocceius de Iudice in propria causa §. 20. De causis propri- is, ait, nemo per naturam iudex esse potest, sed tale iudici- um naturali iuri et suae essentiae contrariatur. Cuius cer- tissime consequens est, nec principem in propria causa iudicem esse posse, neque consuetudine tale iudicium introduci posse. Atque uidemus tamen, introductum id esse. Non di- cam iam de exteris regibus et principibus. In ipsa Ger- mania nostra principes cognitionem litium, quas cum ciuibus suis habent, non summis imperii tribunalibus committunt, sed ipsi sibi sumunt. Nam quod Gotbo- fredus ad tit. C. Ne quis in sua causa lit. a. dicit: In Ger- mania princeps imperii subditum conuenire debet in camera imperiali, non coram suis consiliariis, et e contrario in eadem camera a suis subditis conueniri potest; usu hodie uix seruatur. Certe Gailius lib. 1 Obs. 1 n. 19. posteriore casu, quando scilicet subditi principem in ius uocant, illum coram suis consiliariis conueniendum esse dicit, et denegatos propterea processus ciuitati Rostoch contra ducem Megapolitanum memorat. Et quamuis idem

Gailius in n. praecedente 18 affirmet, principem, si aduersus ciuitatem, immediate sibi subiectam, iudicio experiri uelit, cameram in prima instantia iudicem habere, *Ludolffus tamen in Iure camerali sect. 1 §. 2 n. 15.* fatetur, contrariam consuetudinem plerumque obtinere. Adde *Zysium in L. Qui iurisdictioni D. de Iurisdictione n. 13. Rittersbusium in Nouellis P. 9 cap. 6 n. 82, Merckelbachium apud Klockium uol. 1 Consil. 7 n. 156 et 157. Martini in Processu tit. 1 §. 1 n. 71 et 72.* qui principi in propria causa iudicanti exceptionem suspecti iudicis opponi posse negant, cum quibus et ego ipse sentio, atque in *Specimine ad ff. LXVIII. de Iudice in propria causa medit. 9.* principi uindictam criminum aduersus se a ciuibus commissorum permitto. Quomodo ergo hanc consuetudinem aduersus ius naturae et rectam rationem tuebimur? Plerique, quod respondeant, non reperiunt, sed cum *Gailio lib. 1 O. 1 n. 19.* hoc satis durum esse, id est, aequitati omni repugnare, fatentur. At sic respondere, quoque durum est. Ego, quia melius effugium non patet, utar illo, quo et *Cocceius de Iudice in propria causa §. 9 et 20.* utitur. Scilicet *Vlpianus in L. 1 §. 11. Quando appellandum* propriam causam definit, cuius emolumentum uel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. Dicam itaque, causas et pecuniarias et criminales ad principem non suo sed reipublicae nomine pertinere, ac magis publicas quam principis esse. Non peccabit igitur princeps, qui iudicium sibi in delictis ministrorum, etiam aduersus se commissis, arrogat. Et sic responderunt *ICti Helmstadienses* mense Iulio anni *CIO IO CC XVIII.* Ob wohl die Rechte verbieten, in causa propria einen Richter abzugeben; Alldieweil aber die Rechts-Regul, daß niemand in seiner eigenen Sache Richter seyn könne, nach der fundbaren und überall eingeführten

föhrtem Gewohnheit bey Herzogen, Fürsten und Grafen ihren Abfall leidet, als welchen die exceptio suspecti iudicis nicht im Wege stehet ic.

XIII

Sed quidquid sit, negari certe non potest, causas istiusmodi, si non omnino principis propriae sunt, magna tamen ex parte ad eum pertinere. Igitur ipse sententiam ferre sine grauissima suspicione nequit. Equidem, si id fecerit, sententia nulla propterea non erit. Nam, ut Zieglerus de *Iuribus maiestatis* l. 1 c. 1 §. 32 ait, *haec obligatio non coactiua est, cum praesupponamus, principem non habere superiorem, qui cogere possit, sed directiua, quod princeps ex lumine naturae et secundum dictamen rectae rationis agnoscere teneatur, se cum subditis suis non nisi iuste procedere debere.* Et exstant quoque in iure Romano, scilicet in *L. 41 de Heredibus instituendis* et *L. 3 de his, quae in testamento delentur*, exempla, quibus Caesares ipsi pronuntiarent, et fisco suo quid adiudicarent. Nec recentiora desunt exempla, quibus principes iniurias sibi factas uli sunt, reosque uel ad mortem, uel aliud graue supplicium uoce sua damnarunt. Atque, ut nihil fere sit in rebus humanis, quod non aliquo modo excusari et cum iure conciliari possit, si quis modo, ut cum Iustiniano in *L. 2 §. 15 C. de Vetere iure enucl.* loquar, subtili animo diuersitatis rationes excutiat, ita hic quoque regumentum aliquod reperietur. Et, si nullum aliud suppetit, illud tamen, quod ipse in §. praecedente suggesti, adhiberi poterit, quod, si animo dubitantis non plene satisfacit nec suspicionem euellit, saltem diuerticulum et paratam semper responsionem dabit.

XIV

Vt uero suspicionem quoque euitet princeps, nec adfectibus quid dedisse credatur, uaria suggerunt remedia,

media, quorum, ut uerum dicam, nullum quidem omni ex parte perfectum est, nec scrupulum penitus tollit, sed tamen minuit. Primum *Zieglerus de luribus maiestatis lib. 1 cap. 1 §. 31* post alios suppeditat, ut scilicet princeps collegiis suis et iudiciis ordinariis causae decisionem committat, eique tantisper iurisiurandi uinculum, quo sibi adstricta sunt, remittat. Vetus iam ille mos est, priscis Romanorum Caesaribus usitatus, qui senatum poenas aduersus se delinquentibus statuere iubebant. Ast illa ipsa principum Romanorum exempla, quam fallax sit istud remedium, ostendunt. Neque enim senatus tristium in reos sententiarum magis auctor, quam exsecutor erat, nomenque suum et inuidiam Caesaribus inimicitias suas ulciscantibus commodabat. Immittebant Caesares ipsi accusatores, et uel uoce, uel literis, uel nutu, qualem cuperent poenam infligi, haud obscure indicabant. Nec audebat senatus, quos princeps argueret, quamuis innocentes crederet, absolvere, ac ne quidem poenam mitigare, certo in hos, qui a principe dissensissent, exitio. Vide modo *Taciti Annalem II, cap. 28 sqq. Ann. IV, cap. 19, 29, 30, 70, Ann. V, cap. 3, 4*; sed haec me tamen exempla, ut remedium istud omnino improbem, non permouent, scientem optime, nullum, si princeps potestate sua abutatur, securum perfrugium salutisque praesidium fore. Sub bono tamen iustoque principe, sub quo sua senatui libertas constat, reo nihil facile est metuendum. Abstineat modo a suffragio ferendo princeps. Nam si ipse in senatum ueniat sententiamque inter senatores ferat, eueniet, quod Piso apud *Tacitum Annali I cap. 74* Tiberio dicit: *Quo loco, inquiens, censebis, Caesar. Si primus, habebo, quod sequar; si post omnes, uereor, ne imprudens dissentiam.*

XV

Alii aliam ostendunt uiam, qua princeps in puniendis ministris contra se delinquentibus suspicionem iniustitiae effugiat, ut scilicet acta ad ICTos externos, sibi plane non obnoxios, mittat, atque hos sententiam, quae deinde nomine principis promulgetur, concipere iubeat. Optimum hoc est, certe melius priori illo remedium, atque a principibus aequi bonique studiosis subinde adhibitum. Fridericus Placidus Elector Saxo Conradum Kauffungum, ministrum suum rebellem et liberorum suorum furem, non ipse damnauit, sed ICTis causae decisionem commisit. Docet hoc Conradus Samuel Schurtzleischius in literis ad Tenzelium, quas frater eius *Henr. Leonardus Schurtzleischius in diff. de Conrado Kauffungo raptore principum p. 23* conseruauit: *Actorum, inquit, capita, quae efflagitas, in tabulario arcis, suo reposita loco asseruantur, quae uidi et perlegi, sed non descripsi. Illud recordor, in causa publici Kauffungiani criminis sententiam dixisse iureconsultos Lipsienses, Fridbergenses in Veterauia et Halenses, atque uno omnes animo et uoce capitis damnasse.* Leopoldus Caesar, religiosus profecto princeps, atrocissimam Nadafti et fociorum aduersus se conspirationem puniturus, tanta moderatione usus est, ut causae tabulas ad academias Ingolstadiensem, Tubingensem, Lipsiensem, Spirense item tribunal, deferri uoluerit, teste *Francisco Wagnero in Historia Leopoldi Magni Caesaris Augusti Part. 1 pag. 252.* Exstant quoque similia regum principumque aliorum exempla. Sed hi sponte id fecerunt. Numquid uero etiam necessitatem imponemus principi ad hoc remedium adhibendum tunc, quum reus id poscit? Annon, ut his petitis annuat, si uel maxime uis coactiua desit, saltem in conscientia obligatur princeps? Haereo. Et ne aientem sententiam

simpliciter amplectar, id potissimum facit, quod tales saepe et plerumque sint causae, quibus arcana reipublicae, quae sine magno eius detrimento in exterorum notitiam uenire nequeunt, arctissime sunt innexa. Atque hoc casu frustra sine dubio ad transmissionem actorum prouocabit reus. Quodsi uero tale quid metuendum haud sit, non uideo, quomodo princeps, saluis iustitiae et aequitatis regulis, commune illud totius fere Germaniae consuetudine introductum beneficium reo petenti denegare possit. Adposite *Rennemannus de Transmissione actorum cap. 4 §. 18 lit. a.*: Immo, inquit, si uir bonus et honestus, qui iudex est, uideri uoluerit, tantum abest, ut in casu suspicionis, in quam a partium alterutra uocari poterit, beneficio hoc transmissionis uti non uelit, ut potius omnem declinandi hoc iudicii munus et in alium transferendi lapidem mouere, et iudicandi onus declinare uelit, si possit. Potest autem, et magna quidem cum gratia litigantium, si hoc transmissionis beneficio per mores uel statuta introducto uti, et sic ab illo, inter bonos odiosissimo, iudicis suspecti uitio, cui alioquin se uolens uidensque inuoluturus esset temere, liber esse uelit. Quae si uera sunt in causis ciuilibus, magis obtinebunt in delictis, iis potissimum, quae iudicem ipsum laeserunt. Et ex his rationibus sic responderunt Icti Helmstädienses mense Iulio anni MDCCXVIII: Die Frage, ob super relaxatione arresti gegen Caution und über Zulassung der Defension pro auertenda zu forderst rechtlich zu erkennen sey, muß mit Ja beantwortet werden, da zumahl die Gräfliche Herrschafft bey dieser Sache selbst hauptsächlich interessirt ist, demnach transmissionem Actorum ad impartialen, welche auch hohe Potentaten in solchem Fall zu verstaten pflegen, nicht füglich abschlagen kan.

XVI

Non possum tamen, quin publice hic profitear, errare magnopere, qui transmissionem actorum remedium tutissimum esse credunt, atque sic rectam semper, seu, ut loquuntur, impartialem sententiam obtineri putant. Mirifice profecto, qui hoc sibi persuadent, blandiuntur sibi, nec artes hominum aularumque satis norunt. Subtiliores hae sunt, quam ut praeuideri cauerique possint. Nolo uero commemorare, quod acta subinde mutila et manca mittantur, et ea, quae ad defensionem rei maxime pertinent, omittantur. Hoc non inter artes collocandum, sed falsum manifestum et dolus est. Dicam ergo de aliis. Solent nonnunquam, qui sententiam requirunt, per literas declarare, qualem optent, et tantum non formulam praescribere, aut certe reum, quem damnari cupiunt, tanquam hominem pessimum depingere, et nouis, quae in actis non reperiuntur, iudiciis et facinoribus onerare, atque ea, quae is in defensione sua attulit, refutare. Praejudicant ergo causam, nec sententiam Ictorum expetunt, sed suam, quam hi sequantur, proponunt. Non longe ab his discedunt principes, qui ministrum quendam suum simul cum actis ad collegium Ictorum mittunt, atque huic mandant, ut singula collegii membra adeat, et suggerat, quae ad reum grauius onerandum pertineant. Alii, antequam acta publice pro sententia ferenda mittunt, clam super illis collegia uaria consulunt, responsaque obtinent, et tandem illi ordini, qui maxime ex ipsorum sententia respondit, causae cognitionem committunt. Iterum alii acta a collegio remissa clam resignant, sententiam, si mitior uidetur, occultant, aliud deinde collegium consulunt, hocque tamdiu continuant, donec talem, qualem uolunt, impetrent. Tectius alii acta

quidem signo collegii munita non aperiunt, sed collegium, ut, dum acta remittit, exemplum sententiae extra acta secum communicet, per literas monent, inde scilicet statuturi, conueniatne sibi, sententiam publicari, an praestet suppressi. Taceo alias, quae transmissionis beneficium inane reddunt, artes.

XVII

Si non fortiores, aequales certe cum ICtis exteris, integritatis existimationem habent status prouinciales. Quamuis enim, ut hos in partes suas trahant sibi, que obnoxios faciant, principes aliquot et aularum ministri varias adhibere soleant artes, atque etiam his non raro quaedam membra corrumpant, maior tamen pars inconcussam plerumque seruat reipublicae fidem, et iura populi, ut par est, tuetur. His ergo statibus nonnulli principes, qui maxime aequum amant, cognitionem de delictis ministrorum suorum committere solent. Memorabile in historia Suecica occurrit exemplum Caroli IX, qui initam aduersus se a praecipuis regni ministris cum Sigismundo Poloniarum rege conspiracyem puniturus comitia conuocauit, his decisionem causae commisit, atque, quo suspicionem omnem auerteret, exterorum principum legatos, ut iudicio tanquam testes et spectatores interessent, inuitauit. Vide *Pufendorffii Einleitung zu der Historie des Königreichs Schweden* §. 61 pag. 539 sqq.

XVIII

Aliquando autem principi necessitas incumbit, puniti-
onem ministrorum suorum statibus prouincialibus committere. Dico: aliquando. Nam ordinarium statuum negotium hoc non est. Quare et *Strykius in cap. 4 disserta-*

dissertationis de statibus prouincialibus, ubi negotia ad statuum prouincialium cognitionem pertinentia enumerat, nullam poenarum infligendarum facit mentionem. Sunt tamen regna et prouinciae, in quibus status pacto uel priuilegio obtinuerunt, ut personae illustres condemnari nisi ab illis non possint. De Poloniarum regno *Stara-volscius in Polonia tit. de Nobilitatis praerogatiua pag. 77* Rex, ait, malos poenis, nonnisi cum scitu omnium ordinum regni, afficit; ne forte, si ipse uitae et necis iura teneret, ad tyrannidem prolaberetur. Vnde neminem e nobilitate captiuare potest, etiam in crimine perduellionis, nisi iure conuictum: nec captum capite plecti, nisi sententiis Senatorum rogatis; Quod iudicium comitiale uocatur. *Cbwalkowski in Iure publico lib. 3 cap. 2 p. 400 sqq.* Genti Anglicae singulare ius dedit Henricus III. rex in *Magna charta h. e. corpore priuilegiorum populo Anglico indultorum cap. 29:* Nullus, inquit, liber homo capiatur, uel imprisonetur, in carcerem coniciatur, aut disseisietur, deiciatur, de libero tenemento, possessione, suo, uel libertatibus, priuilegiis, uel liberis consuetudinibus suis, aut utlagetur, proscribatur, aut exuletur, aut aliquo modo destruatur, adfligatur, nec super eum ibimus, eum inuademus, nec super eum mittemus, nisi per legale iudicium parium suorum. Quapropter rex, si quem ex praecipua regni nobilitate ministrum habet, delinquentem puniendum comitiis regni, quae Parliamentum uocant, offerre debet. In eadem magna charta cap. 14 dicitur: Comites et Barones non amercientur, mulcentur, nisi per pares suos. De Gallia *Mornacius ad L. I. C. Vbi senatores:* Videmus, ait, ex usu, pares Franciae, quidquid deliquerint, ab aliis nunquam iudicibus, quam a senatoribus Lutetianis, quorum collegium parlamentum uocatur, totumque regnum repraesentat, iudicari posse. Vocata inde est curia parium. Videmus etiam de

senatoribus ipsis, ne quidem si consenserint, alibi litem fieri, quaecunque fuerit maleficium. Itaque ministri regis Galliae, si senatui simul adsideant, a rege iudicari nequeunt, sed huic exceptionem iudicis incompetentis opponunt. Quam uafre aliquando elusit Ludonicus XIV. Is nempe Fuquetum, aerario praefectum, sed in pecuniam regiam immodice grassatum, punire constituerat. Sed norat optime, uirum hunc ob procuratoris generalis munus, quod gerebat, inter praecipuos regni senatores esse, atque sine dubio ad senatus iudicium prouocaturum. Quamobrem subornat, qui persuadeant misero, esse regem ipsius amantissimum, principemque illi inter purpuratos suos locum destinare, sed unum obstare felicitati eius, nolle scilicet regem praecipuam negotiorum suorum curam committere uiro, qui senatui sit obnoxius, necesse ergo esse, ut munere, quod in illo gerat, se abdicet. Illectus hac spe uendit officium Harlaeo, atque ita effugium, quod unicum deinde ei in calamitate parauisset, ipse sibi praeccludit. Vide *les Memoires de M. L. C. D. R. p. 211 sqq.* et *Ludolffi Schaubühne der Welt Part. 3 lib. 61 cap. 5 n. 52.* Voluit quidem deinde adhuc ad forum istud priuilegiatum tanquam ueteranus et honorarius prouocare. Sic enim in *Recueil des Defenses de Mr. Fouquet tom. 1 p. 47* ait: *pour le priuilege de la personne chacun scait, qu'il a seruy le Roy dans le parlement en qualité de maistre des requestes, et de procureur general, successivement durant l'espace de vingt cinq années, sans intermission, lequel service luy a aquis le droit de Veteran, et le pouuoir de n'estre poursuivy et jugé pour les affaires criminelles, que dans le parlement, toutes les chambres assemblées.*

XIX

Maxime usitatum et fere quotidianum est, commissarios, quos vocant, constituere, atque iis cognitionem

nem et decisionem causae committere. Quaestio hic statim in limine occurrit, utrum minister delinquens iurisdictionem commissariorum agnoscere debeat, an vero ad ipsius principis iudicium prouocare atque commissariis exceptionem, ut loquuntur, incompetentiae opponere queat. Vbi nonnunquam sunt hac exceptione rei, inter alios Petrus Schumacherus, Comes Greiffenfeldius, Daniae Cancellarius, qui, teste *du Mont* in *Memoires politiques pour servir à la parfaite intelligence de l'histoire de la paix de Ryswick tom. 4 p. 173*, apud commissarios ad obiecta crimina respondere detrectauit, sed cancellarium regni se esse, et propter hanc dignitatem solum regem iudicem habere dixit, atque, ut ad rationem gestorum ipsi regi reddendam admitteretur, petiit. Et profecto non pauci sunt Icti, qui, commissarios inuito reo constitui posse, negant. Ita certe *Strykius* in *Introductione ad praxin* cap. 2 §. 21: *commissions*, inquit, *illae, quae a parte una extrahuntur ad causae cognitionem uel compositionem, respectu alterius non sunt necessitatis, sed uoluntatis, cum nemo a iudice suo competente ad iudicium aliquod extraordinarium sit trahendus*. Verum enim uero iamdiu contra *Strykium* in *Specimine* ad π. XXVII de *Commissariis meditatione 2 et 3* ostendi, commissarium eandem cum committente personam censi, atque ideo non posse reum declinare cognitionem commissarii, si committentis forum agnoscat. Quamobrem ista Greiffenfeldii exceptio recte reiecta fuit.

XX

Exceptio suspecti, quae nonnunquam commissariis obicitur, plus habet plerumque in recessu. Non dico de suspitione, quae inde forsan oritur, quod commissarii ut plurimum ex ministris, uasallis, subditis principis eliguntur,

guntur, addictique illi per omnia, gratiam eius uexatione et damnatione hominis, quem odit, aucupari uidentur. Sunt inter eruditos, qui omne commissariorum iudicium ex hoc capite suspectum faciunt. *Menagius remarq. sur la uie de Guill. Menage pag. 342: Il n'y a, inquit, point d'innocence à l'épreuve du bois des Juges.* Narrat quoque *Pasquierius Recherches de la France lib. 6 cap. 8 pag. 471,* Franciscum I aliquando de Ioanne Montacuto, qui primarius aerarii praefectus sub Carolo VI potentia Ioannis Burgundi oppressus, de peculatu postulatus et supplicio adfectus, sed, elapso triennio, innocens publice declaratus fuit, uerba fecisse, et iniquitatem iudicum, qui uirum probum damnare non erubuerint, reprehendisse; tum respondisse regi coelestinum patrem quendam ex Marcussii coenobio, quod Montacutus condiderat, non mirum esse hoc contra innocentem iudicium, quod id non iudices ordinarii sed commissarii reddiderint. Credebat nempe monachus hic, electos a principe, qui rerum potiretur, commissarios semper ad delegantis libidinem iudicare, conscientiae omnis et religionis immemores. Adprobat haec *Pasquierius*, pluribusque ibi contra commissarios declamat. Nec nego, accidere haec ita posse, accidisse etiam nonnunquam. Sed ex improbitate quorundam generale argumentum ad omnes ducere, durum est. Certe si hanc suspicionis causam admittis, tollis omnem commissariorum usum, quibus illa semper obstabit. Verum audiendae non sunt suspensiones altius petitae, quas si audias, reus eludendi effugiendique iudicium et recusandi iudices omnes, etiam ordinarios, quibus tanquam hominibus semper aliquid obici poterit, occasionem nanciscetur, et imitabitur illum, qui, ut in fabulis est, ad suspendium damnatus optionem arboris, ex qua suspenderetur, impetrarat, sed, quod nullam
huic

huic rei idoneam reperiret, supplicio tandem liberatus fuit. Huc pertinent, quae *Meuius p. 1 dec. 194* de collegio in lite praesidis sui tanquam suspecto non recusando disputat. Vide etiam, quae *Baylius Dictionaire bistorique et critique art. Marillac lit. A. n. 4* pro defensione commissariorum, qui a Richelio dati Marillacum damnarunt, adfert.

XXI

Iustiore recusandi commissarios causam priuata, quae reo cum illis intercedit, inimicitia suggerit. Non ego cuiquam facile suadebo, ut exemplum Catonis imitetur, qui, teste *Valerio Maximo lib. 3 cap. 7 n. 7*, saepenumero ab inimicis ad causae dictionem uocatus, nec ullo unquam crimine conuictus, ad ultimum tantum fiduciae in sua innocentia reposuit, ut ab his in quaestionem publicam deductus *Ti. Gracchum*, a quo in administratione reip. ad multum odium distidebat, iudicem deposceret. Qua quidem animi praestantia pertinaciam eorum insectandi se inhibuit. Soli forsan Catoni ea audacia feliciter cessit. Aliis odium commissariorum funestum et exitiosum fuit. Memorabile exemplum uiri integerrimi, *Edwardi Seimeri*, *Somerseti ducis*, regisque Angliae *Eduardi VI* auunculi, et titulo Angliae protectoris ornati, quem commissarii infensissimi capitis damnarunt, refert *Burnetus in historia Reformationis ecclesiae Anglicae P. 2 lib. 1 pag. 437* et legem Anglicam, quae, Pares Angliae iudices datos ut suspectos recusari ex quacunque causa, uetat, tanquam inhumanam et iuri naturali contrariam damnat. *Fuquetum* quoque, aerario Gallico sub *Ludouico XIV* praefectum, inimicitia commissariorum pessumdedit, si ipsi in supplicibus ad *Cameram iustitiae* literis, quas uide in *Recueil des defenses de Monsieur Fouquet tom. 1 pag. 54* fidem habemus, ubi sic in-

Y

quit:

quit: *Lesquels iuges ont fait profession et declaration d'ini-
mitié ouverte contre le suppliant; ou sont parens et alliez au
degré de l' Ordonnance des ennemis, et parties secretes du
Suppliant.* Cui tamen Priolus de Rebus Gallicis lib. 12 cap.
1 et Bayle in Dictionaire historique et critique art. Louis de
MARILLAC. lit. A. n. 4 contradicunt, tribunal ex se-
lectis ab omni Galliae senatu uiris probis erectum, ac in-
tegre ab his iudicatum, affirmantes. Quicquid sit, quum
exceptionem inimicitiae ipsa naturalis aequitas suggerat,
atque ius canonicum in cap. 39 X. de officio et potestate iu-
dicis delegati contra commissarios etiam permittat, non
deneganda erit ministro principis de criminibus accusa-
to. Ad inimicitiam vero aemulationem quoque refero,
quando scilicet commissariorum aliquis in locum mini-
stri accusati subintrare et munus uacuefactum occupare
debet. Hoc maxime Fuquetus contra Colbertum, com-
missarium sibi a rege datum, urget: *Le sieur Colbert tient
une grande partie de sa fortune, et attend une plus grande re-
compense de ma perte.* Vide dictum tomum 1 du Recueil p. 239.

XXII

Inque facile assentio Burneto, legem illam Anglicam,
secundum quam paribus Angliae exceptio inimicitiae
non obstat, iniquitatis et in humanitatis insimulanti. Icti
ueteres iam apud Schraderum tract. feud. P. 10 sect. 3 n. 9
volunt, si per statutum uel aliam dispositionem expresse
sit sublata uel remota recusatio, siue exceptio recusatio-
nis, illud statutum aliamue dispositionem ita intelligen-
dam esse, ut accipiatur tantum de recusatione friuola,
non autem de illa, quae ex causa iusta et legitima fit.
Idem dicendum est de casu, quo princeps causam cum
formula, recusatione remota, delegauit. Non ignoro
equidem, hac in parte dissentire a me plerosque, et se-
cundum

cundum *Schradere* loco memorato n. 11 communiter concludere, principem summum, etj superiorem non recognoscentem, respectu certae causae exceptionem suspecti iudicis tollere, et causam taliter committere posse, ne cui liceat etiam ex causa iusta et legitima tanquam suspectum recusare. Verum enim vero quum naturalis iuris beneficium sit recusatio iudicis suspecti, quae excommunicatis etiam competit, c. 5 X. de *Exceptionibus*, princeps eam reo adimere non potest. Ais forsan, posse tamen principem ita iudicem dare, ne liceat ab eo prouocare, L. 1 §. 4. *A quibus appellari non licet*. Sed diuersa sunt longe appellatio et recusatio iudicis suspecti. Illa enim non ex lege naturae descendit, sed ex indole maiestatis et summi imperii, cuius iuribus a principe renunciari potest. Accedit, quod et hoc casu, quo quis iudex appellatione remota datus est, is tamen, qui ab eo iniuste grauatur, petere possit, ut grauamen per superiorem emendetur; quod profecto nihil aliud, quam appellare, est. c. 53 pr. X. de *Appellationibus*. Agnouere hoc mecum alii, *Durandus in Speculo lib. 1 tit. de Recusatione §. 1 n. 5. Lancellottus de Attentatis P. 2 c. 6 n. 33. Zangerus de Exceptionibus P. 2 c. 4 n. 12.* et opinionem istam communem deferere quidem omnino ausi non sunt, limitationem tamen adiecerunt, interdictam scilicet a principe per istiusmodi formulam tantum censi recusationem ex causa leui et friuola, non etiam ex graui et iusta. Ridicule profecto. Eneruat quippe haec limitatio integram regulam. Nam ex leui et friuola causa iudex, etsi rescripto principis non munitus, recusari nequit. Ergo huius formulae, secundum illos etiam, nullus effectus est, et consentiunt re uera mecum, qui istam limitationem opinioni communj addunt.

XXIII

Quamobrem recte *Vantius de Nullitatibus tit. 9 n. 140* nulla esse dicit, quaecunque à iudice, quem tanquam suspectum recusauit alteruter litigans, postea in causa aguntur, et refellit Innocentium, appellatione tunc opus esse, existimantem. Quin imo ego nullum quoque esse credo, quod commissarius suspectus ante recusationem gessit, siquidem id perperam ex inimicitia erga reum gestum esse appareat. Obiicietur mihi forsitan *c. 5 de Officio et potest. iudicis delegati in 6*, ubi rata esse dicuntur, quae iudex suspectus ante recusationem fecit. At huic capitulo tacita sine dubio inest limitatio, nisi doceri queat, id ipsum factum ex inimicitia profectum esse.

XXIV

Sed quia recusatio duriuscula est, et recusatum grauiter offendit, non debet ea facile uti minister accusatus, sed potius honorificentius illud remedium, quod iura in *L. 9 de suspectis tutoribus* suppeditant, adhibere, et adiunctionem commissarii petere. Neque enim ea libertas deneganda est ministro, quum ad defensionem eius et integritatem iudicii pertineat et cuique alias pateat. *Ruandus de commissariis p. 1 lib. 4 c. 14 n. 3 sqq. Meuius p. 5 dec. 128.* Vide imprimis *Tessauri Decisionem 255*, ubi ait, adiunctionem commissarii etiam in causis criminalibus peti posse, concedendamque eam ad solas partis preces esse, etsi nulla suspicionis aduersus priorem commissarium causa allegari queat.

XXV

Satis de remediis, quibus princeps in iudicio contra ministrum suum delinquentem suspensiones euitare potest. Vnum adhuc, sed et hoc maxime fra-

fragile, addo. Videmus scilicet, peracto iudicio, principes, ut iuste se fecisse ostendant, acta omnia luci exponere et in publicum edere. Fecit id olim Fridericus Placidus, elector saxo, postquam de Conrado Kaufungo, ministro suo, poenas sumpsisset. Quum enim, uaria de hac re in aulis iudicia ferri, et a nonnullis Kaufungum excusari atque innocentem dici, animaduerteteret, totam rei gestae historiam per literas publicas explicuit, iisdemque diuersas apochas et documenta adiunxit. Inseruit omnia *Antonius Weckius Descriptioni Dresdae p. 2 tit. 1 p. 124.* Fridericum Placidum imitati sunt postea plurimi. Recentissimum exemplum serenissimus Marchio Brandenburgicus, qui Onoldisbaci residet, dedit, atque post damnationem ministri sui, Haendelii, omnia, quae cum illo gesta essent, anno 1720. sub titulo: *Gründliche auf des Herrn Marggrafen zu Brandenburg Onolzbach gnädigsten Befehl ex Actis gezogene Nachricht in abgeurtheilter peinlicher Inquisition - Sache Christoph Christian Handels;* edidit. Alios, qui idem fecerunt, omitto. Et laudandi quidem hi principes sunt, quod lucem non extimescant. Praesumuntur etiam omnia ex fide referre. Hi nihilominus, contra quos editio fit, heredesue eorum, saepe conqueruntur, non omnia accurate referri, multaque, quae ad defensionem rei damnati inprimis spectent, omitti. Etsi uero nec his semper fidendum sit, satis tamen causae me habuisse credo, ut supra dixerim, remedium illud admodum fragile et incertum esse.

XXVI

Habent nonnunquam duo pluresue principes, quorum negotia inuicem connexa sunt, communem in communibus causis ministrum. Incurrit is forsan of-

fenfam unius domini, et obiiciuntur ei ab hoc crimina, uocaturque propterea in iudicium. Vocatus negat se apud unum stare debere, et tanquam communis minister ad commune utriusque domini forum prouocat. Ardua profecto controuersia, et, quae ipsos saepe inter se principes commisit. Uti enim communio mater litium est, ita minister communis eo ipso facto, quo de altero domino bene meretur, alterum non raro sibi infensum reddit, atque, quum ab hoc propterea male habetur, ad illum refugit. Odium hoc et fauor in communes ministros iam olim una diffidiorum, quae inter Antonium Caracallum, et Getam, Romae simul imperantes, intercesserunt, et secuti deinde parricidii causa fuit, quemadmodum *Herodianus lib. 4. historiarum cap. 4.* docet. Et profecto optandum foret, ut, quod *Hertius in Elementis prudentiae ciuilis P. 2 sect. 13 §. 3.* primum et praecipuum contra lites ex dyarchiis et condominiumibus nascentes remedium esse dicit, accuratis legibus ea, quae apta sunt diffidia parere, eliminentur. Verum quum saepe casu in communionem incidant homines, nec satis temporis ad scribendas accuratas societatis leges habeant, deinde, quae maxima est rerum humanarum imperfectio, nullum pactum aut contractus tam exquisitè elaborari queat, ut disputare uolentibus omnis materia praescindatur, ad alios saepe decidendarum litium fontes recurrendum est. Quid ergo statuemus de ea, cuius mentio supra facta fuit, lite? Dirimenda illa est ex communibus societatis regulis. Nam, ut rectissime *Hugo de statu region. Germ. c. 6 §. 17* et *Iterus de Feudis imperii c. 13 §. 18* aiunt, inter principes, qui in communionē uiuunt, communionis priuatae regula obseruanda est. At secundum illam, quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, *c. 29 de Regulis iuris in 6*, in re communi

ni melior est ratio prohibentis, *L. 28 de Communi diuidundo*, et res communis mea proprie esse meaeque dispositioni subiacere dici nequit, *L. 239 §. 9 de Verborum signific.* Itaque in ministrum communem communis quoque est iurisdictione, quam unus sine alterius consensu exercere nequit, et, si exerceat, minister ratione officii conuentus exceptionem fori incompetentis recte opponit. Equidem ex antiquis Ictis nonnulli, et inter hos *Iacobinus de sancto Georgio de Feudis tit. Marchio in Italia §. Dubitatur etiam n. 1* existimant, unum ex tribus aut pluribus eiusdem territorii dominis communem iurisdictionem sine ceteris exercere posse. Quin imo nonnulli apud *Heigium P. 2 quaest. 25 n. 4* eo progrediuntur, ut uni condomino facultatem puniendi alterum in communi fundo delinquentem tribuant. Sed contra communionis regulas. Desumunt quidem argumentum ex *c. 8 de Officio et potestate iudicis delegati in 6.* ubi quilibet ex pluribus deputatis iniunctum mandatum libere adimplere posse dicitur. At praeterquam, quod maximum inter commissarios et territoriorum dominos intercedat discrimen, istud capitulum de casu singulari agit, quo scilicet mandatum eis sub hac forma, ut omnes, aut duo, uel unus eorum id exsequantur, datum est. Extra hunc casum uero unus sine altero quidquam facere uetatur. *c. 22 X. de Officio et potestate iudicis delegati.* Quamobrem Icti Vitembergenses mense Septembri anni *cio 10 cc x* responderunt, non posse unum principem circa ministros communes quidquam sine consensu alterius statuere.

XXVII

Maiores adhuc momenti est quaestio, an princeps principem uel comitem, imperio immediate subiectum, ministrum tamen suum, si circa officium delinquat,

delinquat, ad forum suum trahere et iurisdictionem in illum exercere queat. Equidem pares quodammodo inuicem esse principes, et pari in parem imperium non esse, noui probe. Nec ignoro leges, quae principes imperii a iurisdictione omnium, praeter solius caesaris, eximunt. Clare satis *speculum sueuicum cap. 24.* Über der Fürsten Leib und über ihr Gesynd soll nyeman Richter seyn, wann der Künig. Et Fridericus II. in Constitutione Moguntina cap. 24 apud *Goldastum tomo 2. der Reichs-Satzungen fol. 21.* Fürsten und Hochlute, wo es gehet an ihre Lybe, oder an ihr Recht, oder an ihre Erbe, oder an ihre Ehre, das wollen wir selber richten. Scio, inquam, haec omnia, et concedo, principem ministrum in caussis, quae ad officium eius non pertinent, forum principis, cui seruit, agnoscere necessum non habere. Quodsi uero ratione officii consideretur, diuersam sustinet personam, nec princeps est, sed minister, adeoque per ea, quae *supra in §. 8* diximus, principi illi, cui seruit, subiectus est, et potestatem eius in se agnoscere debet, simili prorsus exemplo ei, quo princeps imperii alterius principis uassallus huius in caussis feudalibus iudicium detrectare non potest. Neque mouet me in contrarium *Furstenerii* auctoritas, qui *cap. 12 de iure suprematus*: si quis, ait, ex summorum principum familia munia ciuilia aut militaria alibi obeat, ut saepe fit, persona eius ideo alteri non acquiritur. Sed istam *Furstenerii* doctrinam, adeo inuiolabiles esse principes imperii contendentes, ut nullo unquam casu criminaliter accusari uel condemnari queant, refutauit iam diu *Lynckerus de Libertate Statuum imperii sect. 2 §. 5.* atque eam cum legibus publicis pugnare ostendit.

XXVIII

Haec de principibus. Numquid clericis hac in parte plus iuris tribuetur? solent illi saepe officia publica in aulis principum gerere, atque etiam circa ea delinquere. Cogentur tunc, omisso foro ecclesiastico, in foro seculari principis, cuius ministri sunt, stare? Non loquor iam de principibus protestantibus, qui priuilegia fori clericis tributa parum curant, atque ministros suos, etsi ecclesiastica dignitate ornatos, ad iudicium suum trahere non dubitant. Sermo mihi de principibus catholicis nunc est, qui legibus ecclesiasticis se sponte subiecerunt, ex quibus adeo, non ex aliis iuribus, lis decidenda est. Ex omnibus, quotquot hanc controuersiam tractarunt, optime eam decidere uidetur *Iulius Clarus lib. 5 §. pract. crim. quaest. 36. n. 25.* distinguens inter ius et praxin. Scilicet si ius spectes, res fere dubium non habet. Equidem, quod non nego, fluctuauerunt hac in parte prisci Caesares, atque immunitatem clericorum a foro seculari uariis cancellis olim circumscripserunt. Tandem uero Fridericus II. constitutionem edidit, *Authenticam* nempe *statuimus C. de Episcopis et clericis*, qua generaliter, ecclesiasticam personam ad iudicium seculare trahi, uetuit. Euidentiùs adhuc Pontifices in *c. 8 et 10 X. de iudiciis* constituunt, ut clericus de omni crimine coram ecclesiastico iudice conueniatur, nec prius ad seculare forum trahatur, quam ab ecclesiastico iudice depositus, excommunicatus et anathemate percussus tamen incorrigibilis appareat. Addit Lucius III. in *d. c. 8*, non debere in hac parte canonibus ex aliqua consuetudine praeiudicium generari. Eadem immunitas plurimum quoque conciliorum auctoritate firmata est, quorum conciliorum decreta excerpfit *van Espen in Iure ecclesiastico uniuerso P. 3 tit. 3 cap. 2* ubi in *§. 11* decretum eti-

am Concilii Constantiensis de eodem argumento anno 1417 factum refert, quod ego tamen inter Concilii istius decreta non reperio. Quidquid sit, memoratae istae leges tam clare et generaliter loquuntur, ut, quomodo ab illis eximere clericos principi seruiantes possis, non uideam. Ad consuetudinem contrariam confugere integrum non est, quippe quam, ut dixi, damnat Pontifex. Dices forsan; clericos officia publica suscipientes renunciare priuilegio suo. At hoc eis non licet, et huiusmodi renunciatio irrita declaratur in *c. 12 X. de Foro competente*. Et posses contra dicere, principem, dum clericum ministrum facit, iurisdictioni sibi in ministros alias competenti, quod ad hunc, renunciare. Itaque non dubito, accedere Claro dicenti, praxin, qua principes in iudiciis secularibus de delictis clericorum munera publica sustinentium cognoscunt, de iure male sustineri posse.

XXIX.

Praxis interim certa est. Ait Clarus: *Videmus quotidie, principes seculares tales clericos, etiam in sacris constitutos, priuare officio, et etiam mulctare poenis pecuniariis, ubi qualitas facti hoc exigit. Similiter van Espen in iure ecclesiastico uniuerso P. 3 tit. 3 cap. 2 §. 49: Clerici, inquit, suo priuilegio non gaudent, quando alio quam ecclesiastico officio funguntur, atque circa illud delinquant: eo, quod tunc non ut Clerici, sed ut officarii considerentur; eaque delicta non habeantur pro delictis Clericorum; sed laicorum, seu officiariorum laicalium, quorum officia Clerici obeunt. Adde §. 50, ubi Nicolai Tuldeni et Guillemi Benedicti testimonia hac de re commemorat. Allegat quoque Concordata Brabantiae inter Carolum V et Episcopum Leodiensem iniuncta, quibus clericis contra statuta officiorum secularium delin-*

delinquentibus fori priuilegium adimitur. Et exstant infinita clericorum, qui rationem gesti officii in tribunali principis reddere coacti punitique fuerunt, exempla. An laudabilis haec sit consuetudo, de eo ipsi non satis conueniunt Icti Catholici. Improbat eam *Gonzalez Tellez ad c. 8 X. de Iudiciis n. 8*, et iudicibus secularibus nefas esse dicit, non seruare leges immunitatis ecclesiasticae, quamdiu durant, et a supremo ecclesiae legislatore, Pontificem Maximum intelligit, abrogatae non sunt. Excusat contra iudices seculares, priuilegium fori ecclesiastici saepius infringentes, *Iulius Clarus lib. 5 ff. Proc. crim. quaest. 36 n. 23*, culpamque in Praelatorum indulgentiam reiecit: *Videmus*, inquiens, quod praelati clericos criminosos ut plurimum leuiter castigant, et, licet quandoque eos ad perpetuos carceres condemnent, tamen illos postea relaxant plerumque ac dimittunt, ex quo oritur in populo scandalum, uidere clericum et laicum, eiusdem delicti reos, adeo diuersimode puniri, ut laicus poena mortis afficiatur, et in frustra scindatur, clericus autem aliqua leui poena castigatus per forum ambulet. Idemque populus contra praelatos et clericos intumescit, et murmurat; propterea non est mirum, si quandoque iudices seculares in remissionibus clericorum ad iudices ecclesiasticos faciendis difficiles se praestant. Consentit cum *Claro Annaeus Robertus*, qui *Rerum iudicatarum lib. 1 cap. 6*: Quod in hac caussa, ait, postulatur, quid est aliud, quam ut sacerdotii dignitas et sacrosanctus character tantae improbitatis nefariiue criminis reo asylum et impunitatem praestet? Nam, quemadmodum *Plinius lib. 9 epist. 13 de Senatu romano* dixit, saeuus in caeteros senatoribus solis dissimulatione quasi mutua parcat: sic etiam nemo est, qui nesciat, iudices ecclesiasticos hoc tempore uno omnes hoc uitio laborare, quod in uindicandis hominum sui ordinis delictis adeo remisse et molliter

se gerunt, ut potius tanquam conscii conuiueant, quam ut iudices de damnatione et scelerum poena agant.

XXX

Ne quid tamen dissimulem, praxis haec minores tantum clericos uexat, ad eminentiores autem sese non extendit. Qua de re operae pretium est, audire *van Espen in Iure ecclesiastico uniuerso P. 3 tit. 3 cap. 4 ff. 38*, sic in-
quientem: Quamuis nonnulla crimina inferiores Clericos, quin et presbyteros iudicibus regis subiecerint; praxisque in-
ualuerit, ut de illis a iudicibus laicis iudicentur et condem-
nentur, hactenus non scimus, ad Episcopos laicam iurisdictio-
nem ratione criminis quantumuis atrocis esse extensam, re-
ferturque in actis cleri gallicani, declaratum esse 26 Aprilis
1657 per regem galliae, quod, si Episcopi accusarentur de cri-
mine laesae maiestatis, ipsorum processus instruerentur per
iudices ecclesiasticos, conformiter ad sanctiones canonicas, et
formam in hoc regno seruari consuetam. Qua de re extat
articulus in Summario actorum Cleri gallicani edit. 1680 to-
mo 1 parte 1 tit. 1 cap. 2 art. 37. Immunitates et exemptio-
nes Cardinalibus, Archiepiscopis et Episcopis partae inuiola-
biliter conseruandae sunt in hocce regno. Idque a sua Maie-
state statutum est per Edictum consilii status datum 26 April
1657, et Mandatum de 21 Septembris 1654, quod supremae cu-
riae Parisiensi missum fuerat, ut dominus Cardinalis Retensis
in ius uocaretur, nullius ualoris declaratum est; utque in ca-
sum, quo de crimine laesae Maiestatis rei agerentur, ipsorum
causa instrueretur et iudicaretur pro ipsorum persona per ec-
clesiasticos iudices, conformiter ad ecclesiastica decreta et ca-
nonicas sanctiones, et iuxta morem in hoc regno obseruatum
in causa Episcoporum: Sua Maiestas eodem die 26 Aprilis
1657 declarationem fecit, qua dictum edictum confirmat. Eo
memorabilior est hic Espenii locus, quo magis ante istam
Ludo

Ludouici XIV declarationem in Gallia super ea quaestione, an commissa a Cardinalibus et Episcopis contra maiestatem delicta ad cognitionem iudicis ecclesiastici pertinerent, fuit disputatum. Equidem Ludouicus XI agnouisse uidetur forum ecclesiasticum. Is quippe ministrissimum suum, Ioannem, Cardinalem de la Balue, et Episcopum Verdunensem, atrocissima contra salutem regni et regis machinantes, in uincula coniecit, et confestim duos ex praecipuis Parlamenti adfessoribus ad Pontificem maximum misit, factum hoc excusaturos, atque, ut Pontifex per commissarios ecclesiasticos causam in Gallia cognosceret decideretque, petituros. Et quamuis commissio haec effectum non haberet, rex tamen post undecim annorum carcerem impium esse credidit, cardinalem diutius retinere, reddiditque illum legato Pontificis, et beneficia sua ipsi restituit. Vide plura *dans l'histoire des plus illustres fauoris tom. 2 pag. 260. sqq.* At sub Henrico III contraria sententia obtinuit. Is quippe et Cardinalem Guisium interfecit, et Archiepiscopo Lugdunensi iudices dedit ex regni senatoribus; quibus quum ille respondere detractaret, rex, habito consilio, decreuit, in crimine maiestatis id semper iuris regibus fuisse, ut possent Episcopos cogere ad respondendum, sic Aegidium Remorum Episcopum, Desiderium Viennae Archiepiscopum a Chilperico ad concilium Episcoporum Lutetiae congregatum remissum, haec prius praefato, crimen suae notionis esse; tamen, ne iudex in propria causa sedere uideretur, de iure suo remittere uoluisse, et criminis cognitionem ipsis permisisse; eodem iure Zenonem imperatorem contra Alexandriae et Antiochiae Episcopos usum esse, non petita a pontifice uenia, et ita patres in Constantinopolitana I Synodo, imperante Theodosio, et Carthaginensi censuisse, uidelicet, res

sacras iudicio ecclesiae subiaceret: personas, quoties de crimine agitur, quod poenam a iudice ecclesiastico infligi solitam excedit, ad magistratum ciuilem remittendas esse; quae uitam principis, quae salutem publicam spectant, ea ad principalem iurisdictionem pertinere, nec quenquam esse, qui illa fori praescriptione in tali crimine se tueri queat. Haec ex *Thuanii historiarum libro 93* hausi. Idem tamen *Thuanus in sequente libro 94* fatetur, Henricum regem factorum horum ueniam deinde per legatum in genua procumbentem a Pontifice petiisse. Res ergo semper in Gallia dubia mansit, tandemque, teste Espenio, Ludouici XIV temporibus in fauorem clericorum est decisa. In Germania nostra exemplum Melchioris Klefelii, Cardinalis, Episcopi Viennensis, et in Matthiae Caesaris aula arcanorum consiliorum directoris, exstat, quem Ferdinandus rex, Matthiae successor, et Maximilianus archidux, uariorum in munere commissorum criminum insimulatum, anno 1618 comprehendi curarunt, et in custodiam Leopoldo archiduci, qui in comitatu Tirolensi residebat, tradiderunt. Obtendebant quidem principes hi consensum Pontificis. Sed adparuit deinde, Pontificem totius rei fuisse ignarum. Nam Ferdinandus et Maximilianus sese per literas apud Pontificem submisisse excusarunt, eique et personam Cardinalis et totius causae cognitionem obtulerunt. Aegre tulit Pontifex ab initio hanc immunitatis ecclesiasticae infractionem, traditumque sibi Klefelium post aliquam causae cognitionem anno 1624 absoluit penitus, praecipitque sub poena banni, ut bona ipsi omnia restituerentur. Qua sententia fretus Klefelius rediit Viennam, atque ibi usque ad annum 1630 uixit, quo mortuus et splendido funere elatus est. Vide *Theatrum Europaeum tom. 1 ad annum 1618 pag. 35 sq. et tom. 2 ad annum 1630 pag.*

290 item, *Ludolff Schaubühne tom. 1 lib. 18 cap. 2 n. 31*
sqq et lib. 23 cap. 1 n. 9.

XXXI

Non praetereunda est illustris quaestio de ministro a principe suo ad alium principem ablegato, an is scilicet propter delicta in legatione commissa iudicium principis, ad quem missus est, agnoscere necessum habeat. Equidem fat scio, litem hanc non ex iure Romano, sed naturali dirimendam esse, atque ea, quae de legatis in legibus Romanis constituta sunt, non de legatis, quales a principe ad principem mittuntur, sed de deputatis, seu legatis municipalibus ad communem principem missis, intelligi debere. Attamen exiguum inter utrosque intercedit discrimen, et pleraque, quae leges de deputatis constituunt, ad legatos proprie sic dictos poterunt accommodari. Imprimis uero, quod ad delicta attinet, recte de utrisque Paulus in *L. 34 §. 1 de Iudiciis: Legati*, inquit, *ex delictis in legatione commissis coguntur iudicium Romae pati: siue ipsi admiserunt, siue serui eorum.* Plurimi quidem iuris interpretes hanc legem ad legatos principum pertinere negant, sed hos, quodcumque etiam crimen commiserint, a iurisdictione principis, ad quem missi sunt, eximunt. Ita *Mornacius ad L. 2 §. 1 de Iudiciis: Legatos*, ait, *maiores, cuiusmodi sunt, qui a regibus, ducibus et rebus publicis mittuntur, defendit usque adeo ius gentium, ut seu in civilibus negotiis, seu in capitalibus, iudicium inuiti uel sibi, uel suis non accipiant, nihilque magnificentia uerborum propugnent animosius.* Quaesitum autem est, rufusne sit legatus iure gentium, qui ope, uel consilio molitus quippiam in eos fuerit, ad quos missus est, ut qui ius ipsum gentium uiolauerit. Male nonnullis in hoc ipsum auctor est *Procopius lib. 1 de bello Goth. ubi Theodatus tamdiu legatos*

legatos ait incolumes esse oportere, quamdiu ipsi legationis suae officium seruauerint. Digna enim tyranno sententia illa est, cui opponetur optima ratione prudentissimi omnium populi romani decretum hoc apud Liuium lib. 1. Proditoribus, inquit Liuius, extemplo in uincula coniectis, de legatis paululum addubitatum est: et quanquam uisi sunt commisisse, ut hostium loco essent, ius tamen gentium uoluit. Quinimo et iure diuino defensos, contectosque esse, innuit plus satis Homerus, cum Achillem ita loquentem exhibet. ἰλ. α. χαίρετε κῆρυκες, διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν. Inde enim Eustatius ad hunc uersum diuinos appellat legatos in haec uerba, κάλλιον, καὶ εὐλογώτερον σεμνυνεῖ τοὺς θεῖς κήρυκας ἢ περ τὸ σκητρεον ἐκείνο ὃ καὶ εἰς ὄρεον ἔθστο. Vult in summa uenerandos magis legatos, cum diuini sint, quam sceptrum ipsum, per quod reges iurant, notaque est ultio non de Corinthiis modo, et Tarentinis, qui legatos Rom. ignominia offecerant, ut ex latinis scriptoribus, Floroque maxime ac Valerio: sed et de Ammonitis, qui legatis Dauidicis barbam in partem raserant, et uestes ad medias usque nates praeciderant, ut uulgatum ex cap. 10 lib. 2 Regum. Cum igitur nulla in hunc diem memorentur lata eo nomine iudicia, didici ego ex antiquioribus, summaeque dignitatis uiris, eaque consultissimorum sententia est, legatum quacumque ex causa detrectare posse externos eorum iudices, apud quos degit, adeo ut ne quidem interrogari se sinat de proposito crimine. Conscriptis autem notoriis, seu elogiis, rescribitur principi, a quo missus est, ut reuocet factiosum, aliumque, de quo meliora sperentur, sufficiat. Cui sententiae maximum addidit pondus auctoritas Grotii, qui de Iure belli ac pacis lib. 2 cap. 18 §. 4 placuisse dicit gentibus, ut communis mos, qui quemuis in alieno territorio existentem eius loci territorio subiicit, exceptionem pateretur in legatis, ut, qui sicut fictione habentur pro personis mittentium, ita fictione simili

li constituerentur, quasi extra territorium; unde et civili iure populi, apud quem uiuunt, non teneri, quare, si tale sit delictum, quod contemni posse uideatur, aut dissimulandum esse, aut e finibus iubendum excedere legatum; si crimen sit atrocius, et ad publicum malum spectet, mittendum esse legatum ad eum, qui misit, cum postulato, ut eum puniat, aut dedat. Grotium secuti sunt *Richardus Zoucheus, Ictus Oxoniensis*, in dissertatione *de Legati delinquentis iudice competente*, quam occasione supplicii a Cromwellio, Angliae Protectore, de legati Lusitani fratre summi conscripsit, *Kulpisius de Legationibus Statuum Imperii cap. 21 §. 3*, et qui anno 1717. *de Iure et Iudice Legatorum* opusculum edidit, atque in eo factum Britannorum legatos suecicos conspirationis de reducendo in Scotiam Praetendente, ut uocatur, initae participes in custodiam mittentium impugnauit, et impunitatem legatorum rationibus speciosis atque fortioribus, quam Grotius ipse fecerat, defendit personatus auctor, *Stephanus Cassius*. Sed non desunt, qui contrariam Grotio sententiam tueantur. Inter hos *Pufendorffius de Iure naturae et gentium lib. 2 cap. 3 §. 23*. Legati, inquit, saltem circa ea, quae officium ipsorum spectant, sunt exempti a iurisdictione et coactione eius, ad quem mittuntur: cum alias nulla relinqueretur facultas legatis eo, quo decet, studio pro emolumentis domini sui nitendi, si alteri, praeterquam huic, eo nomine rationem teneantur reddere. At uero, quae alia uulgo legatis attribuuntur priuilegia, illa ex mera eius, ad quem mittuntur, indulgentia dependent, adeoque, si commodum uideatur, citra uiolationem ullius iuris denegari ipsis possunt; si modo is pari uelit, ut sui quoque pari modo tractentur. Copiosius hoc exsequitur *Cocceius de legato sancto, non impuni*. Ego, quod supra iam dixi, cum *Pufendorffio et Cocceio* sentio, et legatis tunc, quum

delinquent, nullam immunitatem nec ius reuocandi domum tribuo, sed eos foro delicti et iurisdictioni principis, sub quo deliquerunt, subiicio. Non prouoco ad exempla, quae plurima congeffit *L'ambassadeur de Wicquesfort lib. 1 sect. 29*, scio enim, haec uim obligandi non habere. Et noui quoque, uti iam ante me *Stephanus Cassius* monuit, alias atque alias, saepe et easdem, gentes legatorum iuri limites nunc propius, nunc longius, ut res tulit, posuisse, sanctimoniam illorum ex suis uel commodis uel cupiditatibus metientes. Ita Romanos modo Philiam, Tarentinum legatum, obsides clam secum abducere conatum, de saxo praecipitare, modo Tarquiniorum legatos conspirationis in rempublicam compertos sine omni dimittere poena, uidit antiquitas. Vidit quoque parentum aetas sub ipso initio superioris seculi circa idem fere tempus duos in Hispania legatos perillustres, alterum Galliae regis, alterum reipublicae Venetae, in causa plane simili dissimili gauisos iure: Illius comites ac ministri Vallisoleti, huius Madriti binos interfecerant Hispanos. Illi, facto in aedes legati insultu, foribusque per uim effractis, non sine damno et cum insigni contumelia protracti et in carceres impacti; His manum iniicere seu domi suae seu foris diserte prohibitum. Quod anno 1644 Hagae comitum residenti legato Sueciae Spiringio constanter negatum, id Appelbomio, in locum illius legato, tredecim post annis haud difficulter concessum, nimirum, ut causae cuiuscunque rationem non nisi regi suo redderet. Argumentis itaque, non exemplis, opus est. At deducere ea copiosius et refellere operose dissentientium rationes, scripti nostri breuitas non permittit. Fecit id accurate satis Cocceius, cui profecto non satisfacit Cassius. Contraham itaque breuiter, quae Cocceius pluribus exponit. Scilicet summa

ma cuiusque ciuitatis potestas aequae absoluta est intra eius fines, ac est humani generis in uniuersam terram. Pertinet haec potestas etiam ad legatos, nec probari potest ex iure naturae, eos exemptos esse. Sanctimonia profecto id non probat, quum haec ad delicta se non extendat, et securitatem tantum, non impunitatem, tribuat. Punire legatos delinquentes, est, ius exsequi. At qui ius exsequitur, ius non uiolat. Neque ius naturae sceleribus patrocinator. Neque beneficia delinquentibus dantur. Neque principis potestas in terris suis aduentu legati imminuitur. Ipsi reges extra regnum suum non habent potestatem nec impunitatem, ergo legatis suis, quod ipsi non habent, dare non possunt. Quin iuri naturae quodammodo repugnat, quenquam, qui in regno est, a regis potestate penitus exemptum esse. Nec opus est, ut dicamus, legatum delinquentem non puniri, sed hostis loco haberi. Punitur uere ex iure, quod princeps in omnes sui territorii homines habet. Illud interim concedo lubens, distinguere debere id, quod iuris, ab eo, quod humanitatis, magnanimitatis aut prudentiae est. Placet mihi inter omnia, quae uulgo afferuntur, exempla maxime Venetorum factum, qui, deprehensa anno 1618 atrocissima contra rempublicam suam coniuratione, ut aperire legati Hispanici, qui conspirantes ope et consilio iuuerat, domum, peruestigare conclauia, extrahere nocentes, obsignare arma ibi reperta non dubitarunt, et querenti de iuris gentium uiolatione legato fortiter responderunt, non legatum eum, sed priuatum nunc esse, dimiserunt tamen incolumen sponte, suaque ei omnia reddiderunt. Vide *Nani Historiam Veneram* et *La Coniuration des Espagnols contre la Republique de Venise* par l'Abbé de S. Real.

XXXII

At num temperamento opus est, quod aliqui hic adhibent? Plurimi scilicet conuicti firmissimis, quas memorauim modo, rationibus subiiciunt legatum delinquentem iurisdictioni principis, sub quo deliquit, sed tantum in criminibus atrocibus. Ita sentit *Thomasius in Iurisprudentia diuina lib. 3. cap. 9 §. 56, 57, 60: Crimen, inquiens, leue condonandum potius est et dissimulandum, quoniam ita dissimularet ex legibus amicitiae princeps, si ab ipso eius principali tale quid fuerit admissum.* Ipse tamen deinde in *Emendatione Institutionum Iurisprudentiae diuinae pag. 200* eum locum intelligendum esse, ait, de regulis decori, fatereturque, secundum rigorem regularum iustitiae legatum etiam in delictis leuioribus inuiolabilitatem nullam postulare posse; et recte quidem, quum, ut philosophi loquuntur, maius et minus non uariant rem. *Speciosius Besoldus*, et nuper *Iustinus Presbenta*, sub quo nomine H. Henniges, regis Prussiae ad comitia imperii quondam legatus, latet, in *Discursu de Iure legationis statutum imperii §. 96 sqq.* discrimen inter delicta, quae aduersus priuatos perpetrantur, et, quae principem uel rempublicam impetunt, faciunt, atque, propter illa punitionem legati domino eius remittendam esse, de his cognitionem et uindictam ad principem, uel rempublicam, contra quos peccatur, pertinere dicunt. Et accederem profecto ipse ad hanc sententiam, si, quod multos facere animaduerto, facultatem ulciscendi crimina legatorum non ex iure puniendi, quod cuius principi competit, sed ex iure belli et licentia aduersus hostem deducerem. At ostendi iam in §. praecedente, legatum, quamdiu in territorio principis, ad quem mittitur, uiuit, huic quoque subiectum esse. Itaque princeps in eum, ut in alios aduenas, recte leges suas exercet, poenasque

nasque in adulteros, homicidas, falsarios, raptores etc. constitutas exsequitur, nec illatas sibi tantum, uerum et ciuibus suis, quos tueri contra quemcunque debet, iniurias uindicat.

XXXIII

Quae quum ita sint, facilis iam erit responsio ad quaestionem, an princeps ministrum suum, in aula sua uersantem, sed legati simul characterem ab extero gerentem, punire possit. Non desunt huiusmodi ministrorum exempla. Ludouicus XII, Galliarum, et Henricus VIII, Angliae reges, praecipuos publicarum rerum in aulis suis ministros, Cardinales Ambosium, *d'Amboise*, et Wolsaeum, passi sunt, legatorum titulum et munus a Pontifice Maximo suscipere. Verum de his, quos dignitas quoque ecclesiastica tuebatur, iam non loquor. Adferam aliud recentius. Abrahamus Wicquefortius, Secretarius et Interpret Statuum Belgii foederati generalium, quod arcana fidei suae commissa manifestasset, anno 1675 accusatus et in custodiam datus legati residentis characterem, quo ab extero principe ornatus erat, obtendebat, atque propter hunc se iure gentium a iurisdictione Belgarum liberum contendebat. At Belgae non dubitarunt, illum publicatis bonis ad perpetuos carceres damnare, teste *du Mont in memoires politiques, pour servir à la parfaite intelligence de l'histoire de la paix de Ryswick tom. 4 pag. 231 sqq.* qui tamen *pag. 235* addit, Wicquefortium post aliquot annorum captiuitatem, conuiuentibus Belgis, elapsum esse. Non improbabunt illud Belgarum iudicium etiam hi, qui Grotio, legatos delinquentes a potestate iudiciaria principis eximenti, adsentiunt. Neque enim respublica, quae illum passa erat legati characterem suscipere, dum ipsi tamen munus secretarii et interpretis cum amplo satis stipendio

dio reliquerat, se iure suo in eum abdicarat, sed hoc, quod ad officium et res eo pertinentes, sibi reseruarat. Poterat itaque illum non tanquam legatum, sed tanquam ministrum suum, in ius uocare et ad rationem officii reddendam cogere. Si ergo etiam secundum regulas Grotianas recte fecerunt Belgae, facilius longe tuebuntur factum suum apud eos, qui principi ius legatos, ipsi alias non obnoxios, puniendi mecum attribuant.

XXXIV

Commemorat simul *du Mont*, occasione huius de Wi-quefortio litis, ordines foederati Belgii senatusconsulto cauisse, ut imposterum, quisquis Belgarum in externi principis seruitium transfret, quacunque dignitate ornaretur, patriae tamen suae legibus et iurisdictioni subiectus maneret. Equidem non negabo, posse istiusmodi legem ferri, ac libertatem ciuium ex patria sua discedentium et alterius principis ministerio se addicentium ita constringi. Vbi uero talis lex non est, grauis oritur quaestio, an principi in alterius principis ministrum, suum origine ciuem, postquam is ex patria discessit, ius aliquod et iurisdiction super sit. Aientem sententiam tuetur praecipue *Io. Bodinus lib. 1 de Republica cap. 6: Quod si, inquit, peregrinus, inuito uel non assentiente principe, alterius imperio se ipsum subiecerit, ab eoque ascitus sit in ciuem, nihilominus principi suo aeterna in illum auctoritas est, ac ius prebensionis, ut in seruum fugitiuum, etiam si ad se legatus uenerit a nouo principe missus. Sic enim Theodosius Magnus Danum tyrannum perduellem pronunciauit, ipsiusque legatos suae potestati subiectos carceribus ac uinculis mancipauit, sic Carolus V Imp. Mediolani Ducis legatum duci iussit, cum intellexit, Ducem una cum aliis principibus sibi bellum*

bellum indixisse. Neque uero Carolus iura gentium uiolasse, aut in legem commisisse uidetur; cum romani ciuem transsugam acerbius quam hostem punirent. Et qui Rinconii ac Fregosii, legatorum ad principem Turcarum, caedem excusabant, speciem transfugarum obiecerunt, quod alter Hispanus esset, alter Genuensis foederatus, qui a Carolo ad regem Francorum defecerat, ut res nouas cum Turcarum principe molirentur. Non potest igitur alienae maiestatis imperio subditus seipsum eximere, non si regiam ipse potestatem adipiscatur: uti nec Barbarius Philippus, homo seruilis conditionis, cum urbanam praetura sua uirtute sibi peperisset, domino praeiudicauerit, a quo quidem cum uindicaretur, pro libertate transigit. Id enim Iurisconsultorum decretis constitutum est, etiam principes ipsos a suo principe domum reuocari posse, ut non ita pridem Elizabetha Angliae regina Lenoxium Comitem una cum filio, quod paulo ante scotiae reginam uxorem duxerat, ad se redire iussit; cum iussa recusarent, bona eorum proscripsit, quia contra morem maiorum Angliae finibus iniussi excesserant, ac connubium regina uerzante contraxerant. Cuius autem, ubi ubi fuerit, principis sui legibus in personam conceptis obligatur: adeo, ut si quid maritus uxori dono dederit extra fines suae ciuitatis, in qua largitio eiusmodi lege prohibeatur, donatio fiat caduca; quia subditos obligandi potestas nullis est regionibus definita. Quo fit, ut principes rogationibus mutuis erga se utantur, ut suos ciues domum reuocent; aut parere cogant iis in locis, in quibus ipsi imperandi ius non habent; aut clarigatione mutua peregrinis manuminiiciant, quousque pareatur. Exemplis a Bodino allatis addi potest Francisci Sfortiae, Mediolanensium ducis, factum, qui, teste Mornacio ad L. 2 §. 1 de Iudiciis, caedem Meruelli, ministri et legati Gallici, sic excusauit, ut Meruellium ciuem Mediolanensem suaeque ditioni obnoxium diceret. Nuper adhuc Bodini
philoso-

philosophia Carolo XII, Sueciae regi, placuit. Ceperat is anno 1705 in praelio ad Warsouiam Paikulium, Liouonum origine, at tunc potentissimi Poloniarum regis et Electoris Saxonis ministrum ducemque bellicum. Hic, se anno aetatis quinto decimo ex patria abiisse et Saxonibus operas addixisse, anno uero Christi 1684, quo nulla adhuc de bello inter Suecos et Saxones deinde orto suspicio erat, praedia sua, quae in Liuania possederat, uendidisse, nec unquam fidem regi Suaeciae iurasse, nullumque adeo huic in se ius, nisi quod uictor in captiuum lege belli haberet, esse, obtendebat. At Sueciae rex, ex eo solo, quod Paikulius in Liuania, subiecta Sueciae prouincia, natus esset, obnoxium illum sibi, et, quia editis in publicum auocationibus non paruisset, rebellem dicens lege egit, miseroque pridie Kl. April. anni 1707 Holmiae caput publice amputari iussit.

XXXV

Verum enim uero uti ego nunquam Bodini de republica libros lego, ut non in mentem ueniat, quod de iis uerissime Iacobus Bongarsius in epistolis clarorum uirorum singularibus a Paulo Colomesio collectis ep. 50. dixit: *uidebam hominem errare turpiter, et iudicium passim desiderabam. Si non inutilis eius opera; ea certe non est, ad quam deduci debeat adolescens, tanquam ad fontem aut purum riuiulum; ita Bongarsii iudicium, si in ullum alium Bodini locum, in hunc certe, quem modo memorauimus, conuenire uideo. Vix credibile est, hominem in eam uerborum incidere potuisse, ut principibus adulaturus libertate, quam natura dedit, nec lex unquam ademit, ipse se ciuesque alios exueret, et ex ingenuis mancipia et glebae adscriptos faceret. Et mirum magis, Bodino hac in parte ab aliis uiris doctis adplaudiri. Sed ea nunc est*

est reipublicae literariae facies, qualis olim Romanae fuit sub Tiberio, quem *Tacitus Annali III. cap. 65* memoriae prodit, quoties curia egrederetur, Graecis uerbis in hunc modum eloqui solitum, o homines ad seruitutem paratos! Scilicet etiam illum, qui libertatem publicam noller, iam proiectae seruientium patientiae taedebat. Nec difficile erit, refellere Bodini rationem. Unica haec est, a seruis nempe deducta. Turpiter profecto. Interest multum inter ciuem et seruum. Obnoxius est, quod non nego, ciuis ciuitati suae eiusque capiti. At mutuus hic nexus est, non ex uno tantum latere, ut in seruo. Deinde uinculum inter ciuem et ciuitatem indissolubile non est. Potest id ciuitas ex sua parte abrumper, ciuique, si iusta sit causa, abitum imperare. Reciproca ergo est ciuis potestas, taciteque ei hanc libertatem reliquisse censetur ciuitas, quum illum ciuem fecit, ut nec opus sit, ueniam ante discessum impetrare, ut recte philosophatur *Grotius de Iure belli ac pacis lib. 2 cap. 5 §. 24*. Nec est, quod leges Romanas obtendat Bodinus, quae forum originis immutabile esse iubent. *L. 6 Ad municipalem, L. 4 et 5 C. de Municipibus*. Respondet enim recte Grotius, eos, in quos id constitutum erat, mansisse intra fines imperii Romani, atque eam ipsam constitutionem specialem spectasse utilitatem tributariae praestationis, ut scilicet, qui domicilium transfulerat, municipii sui muneribus adhuc obligaretur. At alia hodie et diuersissima est tributorum munerumque facies, cessantque nunc obmutatum rerum statum istae ueteres leges. Agunt praeterea hae de iure municipii, non de iure ciuitatis uniuersalis, seu reipublicae, quippe quod plane mutare, et ex ciue Romano extraneae reipublicae membrum uel contra se facere, apud Romanos semper licuit. Docet id multis *Cicero in*

Orat. pro L. Corn. Balbo ex qua hunc saltem locum excerpto: O iura praeclara, atque diuinitus iam inde a principio Romani nominis a maioribus nostris comparata, ne quis nostrum plus, quam unius ciuitatis esse possit, ne quis inuitus ciuitatem mutet, neue in ciuitate maneat inuitus. Haec sunt enim fundamenta firmissima nostrae libertatis, sui quemque iuris et retinendi et dimittendi esse dominum. Et hinc Sabinus in L. 12 §. 9 de Captiuis: De sua, ait, quaque ciuitate cuique constituendi facultas libera est. Si itaque libere abit ciuis ex ciuitate, in qua natus est, dissoluitur omne uinculum, quo obstrictus ei fuit, nec dici potest, ciuitati aut principi eius ius in abeuntem, tanquam patrono in libertum, relinqui. Consentiant mecum Gailius lib. 2 Obs. 36 n. 7. Brand apud Fritschium in Exerc. iuris publici uol. 2 diff. 4 de Iure emigrationis §. 59 et Icti Helstadiensis apud Habnium ad Wesembecium tit. ad Municipalem n. 4

T A N T V M.

